JOANNIS ADAMI SCHMIDT,

CHIRURGIÆ DOCTORIS; PRIMARUM LINEARUM ANATOMES, INSTITUTIONUMQUE CHIRURGICARUM IN ACADEMIA CÆSAREO-REGIA JOSEPHINA, QUÆ VINDOBONÆ EST, PROFESSORIS PUBLICI EXTRAORDINARII; IN AMPHITHEATRO ANATOMES INCISORIS; ET ACADEMIÆ SODALIS

COMMENTARIUS

DE

NERVIS LUMBALIBUS EORUMQUE PLEXU

ANATOMICO-PATHOLOGICUS.




Adjecta est duorum, qui in plexu brachiali majori continentur, nuperque inveniebantur, plexuum minorum descriptio & adumbratio.

CUM QUATUOR TABULIS ÆNEIS.

VINDOBONÆ,
APUD CHRISTIAN. FRIDERIC. WAPPLER.
MDCCXCIV.

118 pp



Anatomiam ſimplicem luculentiſſime tractari aſſero, *anatomiam comparatam deſiderari* ſtatuo. Partes enim ſingulas recte perſcrutantur homines, earumque *conſiſtentias*, *figuras*, *ſitus*; *ſed illarum partium diverſam in diverſis hominibus figuram & conditionem* minus obſervant. Atque hujus omiſſionis cauſam non aliam eſſe arbitramur, quam quod ad primam inquiſitionem inſpectio unius aut alterius *anatomiæ* ſufficere poſſit; ad poſteriorem vero (quæ comparativa eſt & caſum recipit) neceſſe eſt, ut plurimarum diſſectionum attenta & perſpicax obſervatio adhibeatur. Prior etiam res eſt, in quo homines docti, in prælectionibus ſuis, & in cœtu aſtantium, ſe jactare poſſunt: at ſecunda ea eſt, quæ tacita & diutina experientia tantum acquiri poteſt.

FR. BACONI DE VERULAMIO
de dign. & augm. ſcient. Lib. IV.
Cap. II.

IMPERATORI. CÆS.

FRANCISCO II.

P. F. AVG.

PATRI. PATRIÆ.

ACADEMIÆ. ARTIS. SALVTARIS.

VICTVS. RATIONE. MEDICAMINE. MANVQVE

MEDENTIS.

AB. IMMORTALI. IOSEPHO. II.

IN. SOLATIVM. ÆGRORVM. SAVCIORVM. MILITVM.

CONDITÆ.

FAVTORI. MAXVMO.

TVTORI. CLEMENTISSIMO.

PRINCIPVM. OPTVMO.

LEGE. ET. FIDE.

ELECTA. EIVS. TESSERA.

POPVLOS. SIBI. SVBJECTOS.

DEVINCIENDO.

AMORE. SOLVM. ILLOS. DVCENTI.

CIVIVM. ÆQVE. AC. MILITVM. DELICIIS.

GRAVE. BELLVM.

Æ R E. S V O. G E R E N T I.

REBELLES CONTRA. GALLOS.

PROCACI. LIBERTATE. REGNA. MISCENTES.

GALLICA. PESTE. AB. IMPERII. FINIBVS. PROPVLSA.

TEVTONICÆ. LIBERTATIS. VINDICI.

PVBLICÆ. TRANQVILLITATIS. RESTITVTORI.

ÆQVAS. LEGES. PATRIÆ. DATVRO.

PACEM. ORBI.

D. D. D.

DEVOTVS. VIRTVTI. MAIESTATIQUE. EIVS.

JOANNES. ADAMVS. SCHMIDT.

L. B.

Pauca præfanda habeo. Commentarius hic de nervis lumbalibus, quem nunc artis anatomicæ peritis trado, abhinc annis quatuor in diariis eruditorum indicatus legebatur, utpote ad prelum paratus. Hocce opus actis Academiæ medico - chirurgicæ Joſephinæ inſerere tunc temporis mens erat; cum autem acta hæc ſerius compareant, malui, annuente Academia, meum de nervis lumbalibus libellum ſeorſim in lucem edere. Omnes, qui huc pertinent nervi, ad temporis rationem recenſui; hinc & Sœmmerringii neurologiam, & Fiſcheri de nervis extremitatum inferiorum opus ſplendidum, ſerius ſcilicet edita ſcripta, aliquot deinde annis addere oportuit. Coopmannſii vero junioris neurologia ad id tempus deſideratis meis adnumeranda eſt; ob imminentem enim commercii litterarii in terris auſtriacis tabem; omni licet adhibita opera, illam obtinere haud potui.

De ipſa operis œconomia nil hic monendum habeo. Nam occaſionem & ſciagraphiam §. I. II. & V. ſat fuſe expoſui. Præparata, ad quorum ductum delineationes fieri curabam, in ſpiritu vini aſſervantur, in Muſeis Academiæ Joſephinæ ab exteris etiam peritis in arte viris ſæpius viſa.

Quodſi

Quodsi hic labor meus eruditis non displiceat, neque otium imposterum, neque excitatio desint, quibus carere naturæ indagator vix potest, plura, eaque magni momenti, in doctrina de nervis quibusdam cerebri observata, quæ cum amico quondam meo, in Vindobonensi universitate incisore, Ehrenritter, (BARTHII mei, præceptoris optimi, optimo in re anatomica discipulo) instituere licuit, elaborabo, & publici denique juris faciam. Etenim elaboranda mihi utique sunt hæc observata, cum beatus vir nec verbulum, nec lineolam nobis reliquerit. Itaque sum inventi heres ex duabus sextulis, etiamsi heres ex asse factus sim.

Scripsi Vindobonæ Pridie Nonarum Maii MDCCLXLIII.

INDEX

INDEX PARAGRAPHORUM.

I. Rami nervorum lumbalium principes.

§. XV.

II. Rami nervorum lumbalium ſecundarii conſtantes.

III. Rami nervorum lumbalium ſecundarii inconſtantes.

§. XXXI.

De plexu lumbali.

Annotationes practicæ.

§. XLIV.

DE

DE

NERVIS LUMBALIBUS

EORUMQUE PLEXU

COMMENTARIUS

ANATOMICO-PATHOLOGICUS

---

§. I.

Introductio

Quicunque hiſtoriam litterariam anatomes paulo attentius pervolverit, is in arrogantiæ reprehensionem ſane non incurrit, quodſi forte ſuſpicatur, magnos quandoque naturæ curiosos corpora naturalia, ſenſibus obvia, ob eam duntaxat cauſam repetita curatiori indagine indigna cenſere, quod ea corpora, ab aliis celeberrimis viris jam indagata eſſe, noſcant, ac inde haud eximiam ex ſecundis curis laudem ſeſe conſecuturos fore exiſtiment. Aſſerti hujus veritas neurologiæ fatis comprobatur. Plures ſcriptores neurologici à FALLOPII inde & EUSTACHII temporibus de uno eodemque nervo commentati ſunt. Quotne quantique veteres inciſores, qui ab eo, quo ſtudium anatomes primordia cepit, tempore magna auctoritate pollent, nervi ſympathici magni omnibus veſtigiis indagandi & exarandi ſatagebant! nec tamen noſtra ætate CAMPERUM & WALTERUM ſtudii atque laboris pœnituit, hujus nervi hiſtoriam, utpote præ aliis graviorem abſtruſioremque, magis dilucidandi. Nervum denique ſpinalem ad octavum par acceſſorium â GALENO, VESALIO & FALLOPIO deſcriptum, dein â VOLCHERO COITER accuratius diſquiſitum iterum excudit WILLISIUS, & quod exactiorem hujus nervi explanationem ſpectat, omnes

 an-

anteceſſores ſuos longe ſuperavit: nihilominus ASCHIUS & LOBSTEINIUS novam nervi *Williſii* deſcriptionem dederunt, quid! quod elapſis ante aliquot annis cel. SCARPA dignitate hujus nervi excitatus, inſtitutis plurium cadaverum diſſectionibus, iteratisque obſervationibus, originem, decurſum, anaſtomoſin atque diſtributionem nervi recurrentis, addita icone, anatomicorum oculis iterum ſubjecit. Quæ cum ita fuerint, et adhuc ſint, doctrina de nervo crurali s. femorali magno, s. anteriori Halleri â VESALII, EUSTACHII & FALLOPII ævo ad WINSLOVIUM & SABATIERUM uſque pene nullis aucta fuit incrementis, imo recentiores neurographi, quod fuſiorem iſtius nervi deſcriptionem attinet, vix & ne vix quidem illos ſagaces rerum naturæ adepti ſunt, donec tandem LODERUS ante aliquot annos hunc nervum â cl. STYX (1), accuratius præparari, & figura æri inciſa illuſtrari curaret.

§. II.

Hanc monographiam conſcribendi occaſio.

Quum hyeme anni 1789. nervos lumbales in uſum prælectionum publicarum diſſecarem, inter hoſce labores nonnullorum anatomicorum doctrinam de his nervis â natura hinc inde multum abludere, licet natura & doctrina ſolummodo perfunctorie comparata, illico animadverti. Verum enim vero propoſito meo arcte inhærendo, atque ſerie chronologica, & veterum ſententias, et neotericorum inter ſe ac naturam quiete comparando, omnes, quas de nervis lumbalibus dederunt deſcriptiones & figuras æri inciſas, tam inter ſe, quam â natura plus minusve aberrare, magis magisque convincebar. Vir mihi amiciſſimus, cl. Prof. BOECKING, ne rem proſequi deſinem, me incendit gloriæ ſtudio, & en hanc monographiam nervorum lumbalium. Natura archetypum iconum fuerat; ego autem curam geſſi, ne pictor laberetur ab archetypo, ſic, ut quæcunque circa rei veritatem dubia, quæ cuiquam occurrunt, præparatis, quæ in phialis aſſervantur, ſolvere valeam.

§. III.

---

(1) Deſcript. anat. nerv. crur. & obturat. Jenæ 1784.

§. III.

Hiſtoria nervorum lumbalium inter veteres.

Ut autem pateat, me antecedentium anatomicorum ſententias cum natura ipſa utique comparaſſe, (§. I.) nec immerito aſſeruiſſe, magnos quandoque viros res quasdam, utpote in ſenſus ſuapte ruentes, nec ullis in exactiori diſquiſitione difficultatibus obnoxias, altioris indaginis indignas cenſere, brevem tantummodo nervorum lumbalium hiſtoriam adumbrabo. Eam, quam VESALIUS, EUSTACHIUS & VIEUSSENIUS ſtatuere doctrinam, de nervis lumbalibus, juxta ac perpetuo veram, multo poſt tradiderunt omnes. Profecto et ego tabulas VESALII & EUSTACHII tanquam pretioſa & induſtriæ & ſagacitatis humanæ monumenta agnoſco, ut et tabulæ anatomicæ (2) ab illo egregio pictore PETRO BERRETINO (vulgo *Pietro da Cortona*) dilucide ſculptæ, & enodationibus, quas addidit CAJETAN. PETRIOLI, præcipue pictoribus pridem non inutiles, hodieque non ultimam laudem merentur. — Tabulæ neurologicæ VIEUSSENII, etiamſi ſtudio & arduo labore excuſæ, tamen in varias variorum reprehenſiones incurrunt; in ſiſtenda enim origine nervi cruralis anterioris & obturatorii prorſus â natura labuntur. Et ratio, ni fallor, eſt, quod VIEUSSENIUS ultimum par nervorum dorſalium pro primo pari lumbalium habuerit, licet ſolummodo nervorum lumbalium quinque paria; & tria ſacralium dari ſtatuerit. Ceterum ſane minoris momenti incrementa ſunt, quibus hiſtoria nervorum lumbalium poſt memoratorum virorum tempora ditata fuit, donec longo tempore poſt WINSLOVIUS comparuerit. Verum doctrina horum nervorum ab eo ipſo perſpicaciori anatomico hinc inde dilucidata (3), nondum vero exhauſta, adhuc accuratius dirimenda manet. — At, qui WINSLOVIUM ſequutus eſt, celeb. ALEX. MONRO (4) de nervis lumbalibus, ſi dicere fas eſt, nimis jejune differit, ac ſi WINSLOVIUM, de neurologia præclare merentem, neſciret. — Nervi ſic dicti inguinalis deinceps meminit magnus inciſor CAMPERUS (5), & quidem

(2) Editionem novam Romæ cur. cl. *Petraglia*.
(3) Expoſit. anatom. tract. de nervis.
(4) Nervor. Anatome contracta Franequeræ 1754.
(5) Demonſtr. anatom. patholog. Lib. II. Amſtelod. 1762.

ad ductum COOPMANNSII, quem accuratiſſimum hujus nervi monographum appellat. Interim, ſi verum fateri licet, diſſectis tot cadaveribus, decurſum iſtius nervi â COOPMANNSIO (6) & CAMPERO adoptatum nunquam reperi, & CAMPERUS quoque originem hujus nervi omnino ſilentio præterit, fors ideo, quod ipſe ſuſpicatus fuerit, COOPMANNSIUM rem pro dignitate minime abſolviſſe — Ill. HALLERUS (7) quod nervos lumbales attinet, cum EUSTACHIO, BERRETINO, VIEUSSENIO, WILLISIO & HUBERO conſentit, neque hoſce nervos ex inſtituto unquam indagaſſe videtur.

§. IV.

Hiſtoria nervorum lumbalium inter coævos.

Inter recentiores cl. SABATIERUS (8) WINSLOVII veſtigia premit. At ab hujus etiam viri, quas de nervis lumbalibus dedit, deſcriptionibus meæ obſervationes multis in locis recedunt. — Celeb. WALTERUS (9) qui nervos thoracis & abdominis arte quadam exhibuit, ut nullus anatomicorum eum facile ſuperet, de nervis lumbalibus equidem diductius agit, (non enim ſolummodo ramulos ad nervum ſympathicum magnum acceſſorios exhibet, ſed etiam eam, quam nervi lumbales cum nonnullis viſcerum abdominalium nervis ineunt, copulam, & ramorum quoque ê dictis nervis progredientium originem (Tab. I. fig. I.) nitide oſtendit;) at illorum decurſum & terminos non exacte deſcribit, ſubinde tantum generatim attingit; neque, quas natura in hac re leges aut luſus obſervat, ordine adnotat. Aliquot annis, antequam WALTERI Tabulæ in lucem prodibant, cl. HAASIUS (10), & cl. MARTINUS (11) compendia neurologica ediderunt. Cum autem ille in deſcriptione nervorum

vorum

(6) Vide op. citat. MONROI & notulam COOPMANNSII Pag. 64.
(7) Element. phyſiol. C. h. Tom. IV. Laus. 1756.
(8) Traité compl. d' Anatomie Tom. II. à Paris 1775.
(9) Tab. nerv. thorac. & abd. Berol. 1783.
(10) Cerebr. nerv. c. h. anot. repet. Lips. 1781.
(11) Inſtitut. Neurol. Holm. & Lips. 1781.

vorum lumbalium cl. SABATIERI ſententias potiſſimum amplectitur, hic autem WINSLOVII, HALLERI, & ſui quondam Magiſtri Ant. PETITI doctrinam ſequi videtur, facile inde colligitur, utrumque placitis anteceſſorum haud refragari. — Cl. STYXIUS (12) nervum cruralem anteriorem, & ortum ê nervis lumbalibus nervum cutaneum exteriorem deſcribit, ipſos autem nervos lumbales non ulterius proſequitur. — Cl. FROTSCHER (13) nervos lumbales breviſſime pertractat, et cl. GÜNTHERI (14), ut ipſemet fatetur, expoſitionem amplectitur. — Cl. COOPMANNSII Neurologiam, cum apud Bibliopolas noſtrates tum temporis non proſtaret, mihi comparare non licuit. Celeb. SOEMMERRINGIUS (14 d.) EUSTACHII, CAMPERI, WALTERI, DRIESENII, COOPMANNSII, STYXII, & GÜNTHERI doctrinam ſequutus eſt. — Nuperrime tandem ſplendidiſſimum amplumque opus cl. FISCHERI (14 ſz.) prodiit; quod tamen, ni vehementer fallor, meum de nervis lumbalibus commentarium haud ſuperfluum reddit. Clariſſimus auctor enim lubentius, quam ego, aliorum doctrinam amplecti videtur, etſi, ut verum fatear, anatomicorum ſententias ſumma cum cura collegerit, atque inter ſe comparaverit. — Quum itaque brevem nervorum lumbalium hiſtoriam hucusque expoſui, demum non fateri non poſſum, me, licet in diverſa diſcedentem, tamen tot tantorum naturæ curioſorum effata minime eludere, eorum me potius grato animo recordari. Cum in phyſicis autem nulla valeat auctoritas, naturam ipſam interrogare, mei muneris eſſe cenſui: ab ea ipſa repetitis diſſectionibus, & diſquiſitionibus nunc edoctus, utique de origine, formatione, anaſtomoſi, decurſu atque diſtributione iſtius vel illius nervi hinc inde aliter ſentio, quin tamen anteceſſorum merita ſilentio præteream, quin meos labores majorem laudem promereri lectoribus perſuadeam.

§. V.

---

(12) In diſſ. mox citata.
(13) Deſcript. medull. ſpin. ejuſque nerv. Erlang. 1781. §. 24. 25.
(14) Cerebr. & nerv. diſtr. expos. Duisburg. 1786.
(14 d.) Hirn- und Nervenlehre. Frankf. 1791.
(14 ſz.) Deſcriptio anatomica nervorum lumbalium, ſacralium, & extremitatum inferiorum c. 4. Tab. lin. & 4. adumbr. Lips. 1791.

§. V.

Commentarii diagramma.

Ut autem breviori ſermone hanc doctrinam complecti, et repetitiones ſimul evitare liceat, id mihi propoſui, ut prius ea, quæ omnibus nervorum lumbalium paribus communia, exponerem, deinde autem ad ea, quæ ſingulis propria ſunt, deſcenderem. Naturæ ductum, neque ullam ab anatomicis hucusque receptam docendi methodum, ſequor. Expoſita itaque *primum* conſtanti lege, quam natura in ſtatuendo nervorum numero observat, ſingulorum parium ê medulla ſpinali originem, modum originis, et gangliorum lumbalium indolem deſcribam; ſingulos *denique* truncos ramosque *principales*, qui ex quinque nervorum lumbalium paribus conſtanti ratione, et juxta commune quoddam naturæ inſtitutum oriuntur, adumbrabo. Huc pertinent 1) *Trunci nervei lumbales poſtici.* 2) *Nervi lumbales ad nervum ſympathicum magnum acceſſorii.* 3) *Trunci nervei lumbales antici*, ſeu *anſæ communicationis nerveæ* â me dictæ. Cum ex deſcriptione mea, quam hucuſque dedero, clarum fuerit, eam eſſe naturæ legem, ut ex quinque paribus nervorum lumbalium quatuor paria conſtituendo *plexui* inſerviant, ex quo *nervus cruralis anterior*, & *nervus cruralis interior*, ſeu *obturatorius* oriuntur: in hoc loco, ubi plexus formari incipit, conſiſtam, expoſitis utpote, quæ ſingulis nervorum lumbalium paribus communia ſunt. Facto deinde tranſitu ad reliquos nervorum ramos, qui ex quinque nervorum lumbalium paribus oriuntur, illorum originem et decurſum ſingulatim et perfecte deſcribam, atque in hunc finem ea, quæ ſingulis nervorum lumbalium paribus propria ſunt, exponenda veniunt. Ad hosce ramos *laterales* ſeu *ſecundarios* pertinent: 1) *Nervus ilio - hypogaſtricus.* 2) *Nervus ilio - inguinalis.* 3) *Radix prima nervi ſpermatici externi* â *primo lumbalium.* 4) *Radix altera nervi ſpermatici externi* â *ſecundo pari lumbalium.* 5) *Nervus lumbo - inguinalis.* 6) *Nervus cutaneus externus* — Descriptis nervorum lumbalium ramis lateralibus ſeu ſecundariis, finem primarium, quem natura in efficiendis nervis lumbalibus intendit, contemplabor, atque extra omne dubium ponam, nervos lumbales â natura ad conſtituendum plexum natos eſſe, qui dein trunco

nervi

nervi cruralis anterioris, et partim etiam trunco nervi cruralis interioris, ſeu obturatorii geneſin largiatur. *Plexus iſte, atque orti inde duo nervorum trunci, ramique etiam quidam minores* hoc commentario exponuntur. Quum autem cl: STYX nec non cl: FISCHERUS tam nervi cruralis anterioris, quam nervi etiam obturatorii ramificationes nuper diductius demonstraverint, parti hujus commentarii anatomicæ finem hic imponam.

§. VI.

Disquiſitio vel circa conſtantem, vel variantem nervorum lumbalium numerum.

Varietas, quam in vertebrarum numero natura ſubinde ludit, et veteribus jam cognita, mihi videtur ratio eſſe, cur in ſtatuendo nervorum medullæ ſpinalis numero antiqui incisores diverſi in diversas ſententias abierint. Quando enim numerus vertebrarum variat, unam vertebram accedere ſæpius, quam unam deeſſe, aſſerit HUBERUS (15); atque tunc numerum quoque nervorum medullæ ſpinalis pro vario numero vertebrarum augeri, aut minui oportet. Attamen apud veteres illos anatomicos non conſtat, in quanam vertebrarum claſſe hic luſus naturæ plerumque ſoleat reperiri. EUSTACHIUS adfirmat, ſe quandoque octo vertebras colli obſervaſſe; ſex vero vertebras colli vidiſſe COLUMBUS contendit; at hic et ille alibi, GALENI, VESALII, et VIDI VIDII auctoritate muniti, aſſerunt, ſubinde undecim, aut tredecim vertebras dorſi repertas fuiſſe. Quum hæc viguerit doctrina, ſolus FALLOPIUS (16) omnibus contradicere auſus eſt, firmiter negans, unquam vertebrarum numerum augeri, minuive; atque ſi forte contingat, ut numerus unius claſſis exſuperet, in altera certe quadam claſſe defectum reperiri, atque hinc etiam varium nervorum medullæ ſpinalis numerum derivandum eſſe; ſe nunquam undecim vertebras dorſi, bis vero tredecim, et totidem coſtas obſervaſſe, atque tunc quatuor tantum vertebras lumborum adfuiſſe, ut itaque hac ratio-

(15) De medulla ſpinali Gotting. 1741. p. 60 — 61.
(16) De oſſibus Cap. XVII.

ratione constans etiam observata fuerit naturæ lex. — RIOLANUS (17) postmodum FALLOPII doctrinam confirmavit. — HUBERUS vero opponit, se aliquando in sceleto, quod præceptor suus KÖNIG Basileæ asservabat, tredecim costas et tredecim vertebras dorsi, præsentibus tamen quinque vertebris lumborum, vidisse (18). In nostro academiæ museo sceleton cum tredecim costis, tredecim vertebris dorsi, et omnibus quinque vertebris lumborum quoque videndum est; atque ego ipse, cum nec parce cadavera cultro anatomico subjecerim, ejusmodi specimen reperi, eo tamen discrimine, quod ultima costa processum transversum primæ vertebræ lumborum haud duabus lineis excederet, propriam tamen foveam articularem, propriaque ligamentula haberet. Idem animadvertit cel. SOEMMERRING (19): „ reperitur subinde, ait, sub duo- „decima vertebra dorsi os oblongo-rotundum, quod medium quoddam inter „decimam tertiam quandam costam, et processum transversum primæ vertebræ „lumborum, aut transitum costæ in processum transversum tenere videtur. „ Idem sagacissimus incisor numerum vertebrarum variare quoque adnotat. — Atque tunc, si hæc varietas obtinet, probabilius semper tredecim paria nervorum dorsalium adsunt; nam in cadavere supra memorato non tantum nervi sympathici magni decursum, sed etiam quinque paria nervorum lumbalium ne minimum mutata, iisque, quæ in aliis cadaveribus reperiuntur, adeo simillima deprehendi, ut nervos lumbales juxta hocce præparatum in utraque tabula delineare potuissem. — Neque mirum est, in tanto auctorum dissensu, *Bartholinum Fallopii* auctoritate seductum non ausum fuisse, quinque paria nervorum lumbalium tanquam constantem naturæ legem admittere, sed in genere tantum asserere, aliquando quatuor, aliquando autem quinque paria nervorum reperiri (20). Id autem prorsus singulare est, HUBERUM, licet omnium

nium

---

(17) Comment. de ossibus Cap. XV.

(18) L. c. §. XXVII. p. 62.

(19) Uiber die Schädlichkeit der Schnürbrüste. Leipz. 1788. §. 1.

(20) Anatome. L. fs. 1673. L. III. Cap. IV. p. 685. Ex spinali medulla, quando in lumborum vertebris est, oriuntur paria nervorum aliquando quinque, aliquando quatuor.

nium anatomicorum observata repugnent, FALLOPIO et RIOLANO, ut videtur, assentiri, præsentibus nempe tredecim vertebris dorsi, et totidem costis, quatuor tantum paria nervorum lumbalium posse existere, etsi cetero proclivior sit, quinque paria pro constanti lege habere. Difficile autem captu esset, quomodo magnus quondam HALLERUS (21) ad alterum extremum delapsus sit, atque sex paria nervorum lumbalium, undecim autem dorsalium paria esse statuerit, nisi HUBERI doctrina fuisset seductus. Hic enim asserit., „*primum par nervorum lumbalium inter infimam vertebram thoracis* „*primamque lumborum exire*; *ultimum par ultimæ* vertebræ *ejusdem nominis* „*subjacere*, *et ossi sacro impositum esse.*„ Quum igitur HALLERUS exitum nervorum lumbalium eodem modo, ac HUBERUS numerat, illumque auctorem allegat, attendisse non videtur, HUBERUM in hoc casu tantum id asserere, quando quatuor vertebræ lumbales adsunt (22). Nihilominus HALLERI doctrina inter neotericos quosdam obtinuit asseclas. Cel. enim SCARPA in opere suo (*De plex: et gangl. nerv. Lib. I. Cap. III.* §. *XIII.*), quum de orgine nervi magni cruralis posterioris agit, *sexti* cujusdam *paris* nervorum mentionem facit; et cel: MARTINUS, etiamsi quinque duntaxat paria nervorum lumbalium admittat, quintum tamen par nervorum lumbalium ad effingendum nervum cruralem anteriorem utique concurrere docet. Quum autem, si quinque paria nervorum admittimus, quintum par ad nervi hujus formationem prorsus nihil contribuit: facile patet, cel: MARTINUM aut erroneam nobis hujus nervi descriptionem tradidisse, aut sex paria nervorum lumbalium tacite statuisse. In eo autem nunc pene omnes anatomici consentiunt, constanti naturæ lege quinque vertebras lumborum, et totidem paria nervorum lumbalium progigni. Quodsi vero natura quandoque ludat, numerum vertebrarum et dorsi, et costarum, et nervorum dorsalium augeri reor „

---

(21). L. c. Sect. VI. cerebr. & nervi §. XXXVIII.

(22). *Huber* l. c. Jam monuimus interdum, quando scilicet tredecim costæ reperiuntur, quatuor solumodo vertebras lumbales, quatuorque nervos numerari, dicto modo egredientes; nempe primum par inter infimam vertebram thoracis, primamque lumborum exit; ultimum par ultimæ ejusdem nominis subjacet, & ossi sacro impositum est.

quin ideo numerus vertebrarum lumborum, nervorumque lumbalium minuatur. Qui meam hanc opinionem evidenter velit refellere, huic incumbit, ut non ſolum omnes vertebras totius columnæ vertebralis, una cum oſſe ſacro, ſed etiam omnes claſſes nervorum parium ê ſpecu vertebrali progredientium exacte numeret, & quidem mutuam ad ſe invicem rationem determinando; præcipueque autem adhuc animadvertere oportet, quomodo rami nervorum lumbalium, ſi quatuor tantum paria adſunt, â perpetua naturæ lege deflectant, & qua ratione non ſolum nervus cruralis anterior, nervusque obturatorius, ſed & omnes reliqui rami enascantur. Hunc caſum mihi nunquam videre contigit; illi autem, qui cum FALLOPIO & RIOLANO id obſervaſſe contendunt, hoc criterio, unico refellendæ meæ ſententiæ idoneo, non uſi ſunt.

§. VII.

Ratio originis nervorum lumbalium.

Inſtituti mei ratio haud poſcit, ut de medulla ſpinali, illiusque gangliis fuſius agam. Atque in hoc tam multos, eosque præclaros, anteceſſores nactus ſum, ut nervorum lumbalium originem paucis omnino poſſim expromere. Repetitis enim, iisque exactis, medullæ ſpinalis, & gangliorum diſſectionibus, nil tamen reperi, quod non HUBERI, HALLERI, PROCHASKÆ, SCARPAE & MONROI laboribus noſtro ævo eſſet dirimatum. — Par primum nervorum lumbalium evidenter ſub apice medullæ ſpinalis oritur, & radices illius numero longe ſuperant radices ultimi paris nervorum dorſalium. Radices autem ſecundi paris in fine omnino apicis medullæ ſpinalis proveniunt, ita quidem, ut aliquoties mihi viſum fuerit, exacte ſub ultima radice ſecundi paris caudam equinam exire. HUBERUS hosce limites in ſua delineatione nitide & adamuſſim exhibuit (23). Ea, quam MONRO dedit delineationem, quod ſaltem hanc medullæ ſpinalis partem attinet, ab illa HUBERI, ni fallor, plurimum ſuperatur,

(23) Op. cit. Ic. 2 d, n. p.

tur; inde multo minus recentiorum quorundam delineationes (quo etiam recusæ HUBERIANÆ tabulæ pertinent), illi æquiparandæ sunt. Numerus radicum secundi paris numerum radicum primi paris iterum excedit. — Reliqua tria paria â conjunctis tantum caudæ equinæ chordis formantur: quo proclivius enim nervi lumbales per paria egrediuntur, eo plures mox chordæ ad illos efficiendos confluunt, adeo ut tertium par pluribus chordis, ac secundum & tertium, constet, quintum autem par ex plurimis ejusmodi chordis compositum sit. Hæ chordæ, aut radices, peculiari vagina investiuntur: externum nempe involucrum hujus vaginæ ex dura, internum autem ex pia matre constat. Error est, si quis tum anticas, tum posticas radices communi vagina includi autumat; quælibet enim seorsim propriam vaginam nactæ sunt, uti cel. SCARPA (24) omnium primus, quod sciam, & solus docuit, atque, ut in natura ipsa reperitur, exacte delineavit. Ceterum extra dubium nunc positum est, posticas tantum radices, quæ secundum cel. PROCHASKAM formam potius cylindricam in origine exhibent, in vaginis suis in ganglion intumescere, anticas autem, in origine magis ramosas, supra ganglion propria vagina involutas, & ope telæ tantum cellulosæ ganglio quasi alligatas, decurrere. Ganglia nervorum lumbalium, ut omniaganglia nervorum medullæ spinalis, ex genere *gangliorum simplicium* sunt, cum et *origo et fabrica illorum simplex* sit. Quod si enim ganglia nervorum lumbalium, prope illorum originem resecta, perocto dies aqua macerarem, non raro radices anticas sponte â ganglio decidisse observavi. In fine gangliorum fibræ radicum anteriorum posteriorumque parallelæ se conjungere, & juxta se invicem via sat longa in fasciculos conjunctos incedere videntur (25). Leni autem maceratione, & solerti dein telæ cellulosæ separatione demonstrare possumus, omnes fibras, seu ex ipso ganglio, seu ex radicibus anterioribus enatas, etsi ope telæ cellulosæ in fasciculos distinctos collectæ sint (26), su-

 binde

(24) Annot. anat. Lib. pr. de nerv. gangl. Mutin. 1779. §. III. Tab. 2. fig. 1. U. — Z.

(25) Tab. I. fig. I β. II β. III β. IV β. V β.

(26) Tab. I. fig. II. β. a. a. a. III. β. a. a. a.

binde tamen propriis fibris ſibi invicem iterum conjungi (27). Intimior tamen utriusque generis radicum copula & permixtio non in hoc loco, ſed longe inferius reperitur, ramis nempe ad nervum ſympathicum magnum acceſſoriis jam diſtributis. Sed de his adhuc (§. XIII.) dicendi occaſio erit (28).

RAMI NERVORUM LUMBALIUM PRINCIPES.

§. VIII.

I. Truncus nerveus lumbalis poſterior.

Solebant hucusque anatomici ſingulos, é nervis lumbalibus progredientes, ramos arbitraria prorſus methodo deſcribere. At vereor, ne ordinem, quem ipſa natura in nervorum lumbalium diſtributione obſervat, in ſtudii anatomes detrimentum invertamus. Quamprimum quodvis nervorum lumbalium par ſub ganglio ſuo é ſpecu vertebrarum exit, ſi vertebræ ſolerter depuratæ ſunt, penes foramina intervertebralia comparet (29). Primum â quovis pari mox ſub ganglio prodeuntem nervum appello *truncum lumbalem poſteriorem*, partim eam ob cauſam, ut ab illis, quos nervi dorſales ad partem poſticam dorſi diſtribuunt, nervis diſtinctus ſit, partim ut truncum lumbalem anteriorem

---

(27) Tab. I. fig. I. β. a. a. V β. a. a.

(28) Ganglia nervorum medullæ ſpinalis ex radicibus poſterioribus componi, duo præclari anatomici, eodem anno 1779, cel. SCARPA MUTINÆ, & cel. PROCHASKA Viennæ, quin unus de alterius obſervatis aliquid reſciverit, eruditis communicarunt. Cel. MONRO nullam horum anatomicorum mentionem facit, ac anno 1783. ita de hac re agit, ac ſi omnium primus talia proferret. Cel. SOEMMERRING non equidem aſſerit, MONROUM notitiam habuiſſe operis SCARPÆ. Quum autem eodem tempore, quo SOEMMERRING Edinburgi degebat cl. *Duncanus Prochaska* opus obtinuerit, veroſimile ipſi videtur, MONROUM, qui opus ſuum anno 1783. edidit, PROCHASKÆ opus, quod jam anno 1779. prodierat, ſaltem vidiſſe.

(29) WALTER l. c. T. I. & noſtra Tab. II.

rem, qui mihi dein sub nomine *ansæ communicationis nerveæ* venit, *seorsim* possim exponere. — *Truncus lumbalis posterior* certe pluribus conjunctis radicibus ex solo ganglio oritur. Inter omnes peculiares è nervorum lumbalium paribus egredientes ramos robustissimus est; at non semper illius crassities eandem ad cætera paria rationem habet; sæpius enim truncum secundi paris trunco quinti paris crassiorem vidi, atque ita trunci lumbales postici, quoad robur, diversimode variant sic, ut natura constantem haud teneat legem (30), sed variam in variis corporibus rationem sequatur. Trunci lumbales posteriores omnium quinque parium recta retrorsum intra processus transversos vertebrarum lumbalium ad dorsum pergunt: perforando enim fibras musculi quadrati lumborum atque transversi abdominis, intra processus transversos sitas, in duos demum ramos, crassiorem alterum, alterum tenuiorem, abeunt. Inde uterque ramus dispertitur in ramificationes varias vario modo decurrentes. Quidam nempe majores rami prope columnam vertebrarum recta extrorsum musculum longissimum dorsi, & sacro-lumbalem perfodiunt; parvis dein in hoc itinere filamentis musculo multifido spinæ, musculis intertransversariis & interspinalibus lumborum transmissis, ipsas tendineas expansiones musculi latissimi dorsi superscandunt, & tenuissimis surculis in cutem dehiscunt; alii vero intra musculum transversum & obliquum minorem abdominis antrorsum repunt, in margine externo musculi sacrolumbalis prodeunt, & in membrana adiposa secundum longitudinem coxæ evanescunt; alii tandem ramuli intra musculos abdominis serpentinis ductibus obrepunt, hunc vel illum transforant, donec ad anteriorem abdominis regionem adveniunt, & in membrana adiposa pari modo evanescunt. EUSTACHIUS horum truncorum distributionem sat accurate exhibuit (31). PETRUS DE CORTONA (32) non autem ea, qua EUSTACHIUS, industria horum truncorum supra musculum longissimum dorsi, et sacrolumbalem

(30) Tab. I. fig. I. C. II. C. III. C. IV. C. V. C.

(31) Tabul. anatom: Edit: *Andr. Maximini* Romæ 1783. Tab. XX. Tab. XXI. & XXII.

(32) Tab. anat. *Petri Berretini* not: illustr: à *Cajetano Petrioli*, Romæ 1741. Tab. XV. fig. I. K. N. M. V. Tab. XVII. & XVIII.

lem ramificationes adumbravit. WINSLOVIUS & SABATIER in expoſitione ſingulorum parium hujus quoque trunci deſcriptionem una repetunt; id quod etiam in quorundam recentiorum neurologiis factum eſſe video. Attamen, mea quidem opinione, hac repetitione tuto carere poſſumus; ſat perpetua enim lege hi trunci decurrunt ſic, ut generali quadam deſcriptione optime poſſint comprehendi.

§. IX.

II. Nervi a lumbalibus ad ſympathicum magnum acceſſorii.

Si anatomicorum, qui olim & nunc inclaruerunt, de nervis ſpinalibus ad ſympathicum magnum acceſſoriis ſententias colligimus, eas, præter opinionem, plurimum inter ſe diſcrepantes obſervamus. Atque id nunc exemplo illorum tantum ramorum acceſſoriorum, quos nervus ſympathicus magnus â quinque nervorum lumbalium paribus nanciſcitur, demonſtrabo.

Sententiæ veterum.

VESALIUS tria priora tantum paria nervorum lumbalium ad nervum ſympathicum ſurculos acceſſorios ablegare (33) docuit; in ea autem, quam nobis reliquit delineationem, nulli ejusmodi ſurculi apparent. EUSTACHIUS (34) contra credidit, â quovis pari ramum quemdam diffundi, quem etiam in ejus tabulis delineatum videmus. Verum, â quovis pari nervorum ſpinalium (hinc etiam â nervis lumbalibus) ramum quemdam ad nervum ſympathicum magnum, & ab illo iterum alium ramum ad ſingulum quodvis nervorum par, modo quaſi

(33) HUM. CORP. FABR. Libr. ſept. Cap. XV. p. 349. Quin etiam ab anterioribus ramis trium priorum parium ex lumborum vertebris proſilientium ſurculi etiam diffunduntur, qui nuper dictos ſexti paris ramos coſtarum radicibus exporrectos accedunt, illosque adaugent.

(34) L. c. Tab. XVIII & XIX.

quasi reciproco, ablegari, VIEUSSENIUS (35) tradidit: atque hinc (Vide tabulam trigesimam tertiam) in quovis nervorum pari tales arcus communicantes delineavit, in quibus primum ramum nunquam non ex ganglio nervorum spinalium progredi videre est. — WINSLOVIUS et de ramulis nervorum lumbalium ad nervum sympathicum magnum accessoriis, et de trunco lumbali posteriori singulatim in singulorum parium expositione tractat. In genere quidem unicum tantum paulo longiorem ramulum â singulo pari enatum describit; de quarto autem pari nervorum lumbalium inprimis adnotat, illud sæpe ope duorum ramorum cum nervo sympathico magno copulam inire. Cum autem de nervo sympathico magno ex instituto agit, singulorum parium cum hoc nervo anastomosin duobus semper ramis fieri asserit (36).

§. X.

Placita recentiorum.

Etsi inter recentiores cel. SABATIER, in speciali nimirum nervorum lumbalium expositione, unistirpem seu simplicem nervi sympathici magni cum singulis nervorum paribus copulam agnoscere videatur, in generali tamen nervi sympathici magni pertractatione, paulo obscurius, meo equidem judicio, hac de re agit: non enim patet, an in genere anastomosis illa nervum sympathicum magnum inter et nervorum lumbalium paria ope duorum vel trium ramulorum constituatur; aut an duplex illa, vel triplex conjugatio in quovis pari singulatim locum habeat; neque id ex descriptione illa erui potest, an hi ramuli â nervorum lumbalium paribus ad nervum sympathicum magnum, vel vice

(35) NEUROGR. UNIV. — Nervi paris intercostalis circa singula vertebrarum internodia â nervis spinalibus utrinque ramulum accipiunt, ipsique vicissim singulis nervis dorsalibus utriusque lateris ramulum unum impertiunt. Pag. 371. & Tabul. XIII. 89. & 91.

(36) L. c. §. 289. & §. 425.

vice versa, id quod potius putari videtur, transmittantur (37). — Cel. WALTERUS largissimam inter nervos lumbales & nervum sympathicum magnum anastomosin describit & delineat. In prima tabula (fig. I), quoad primum par nervorum lumbalium, quinque ramuli anastomotici, nullibi pauciores, quam tres, in quarto pari autem quatuor conspiciuntur. In primo præsertim pari tres ramuli anastomotici ex trunco anteriori, qui cum secundo pari coalescit, originem trahunt (38). Cel. SOEMMERRING certum esse asserit, nervi sympathici magni symbolum abdominale (*Bauchstück*) â singulis nervis lumbalibus duo crassiora, tria autem vel quinque tenuiora filamenta accipere (38*). WALTERI circa hanc anastomosin doctrinam, nec non anastomoseos delineationem, nuperrime adamussim recudit cl. FISCHERUS.

§. XI.

Meæ circa hos nervos accessorios observationes.

Meas juxta observationes origo & decursus ramulorum â nervis lumbalibus ad nervum sympathicum magnum accessoriorum, ut plurimum, ita se habet. — Sub quinque gangliis nervorum lumbalium, ex fasciculis anteriorum radicum (39) omnes nervi accessorii ita oriuntur, ut duo diversi rami *primi paris* duabus radicibus egrediantur (40). Harum radicum prior atque anterior super primam lumborum vertebram, recta via, ad ganglion lumbo intercostale primum nervi sympathici tendit (41), cui simul â surculo duodecimi paris

---

(37) Loc. c. p. 759 — Il (le tronc de l'intercostal) tient aux nerfs lombaires par deux, & quelquefois par trois filets, qui vont s'y rendre d'avant en arriere, de haut en bas, et de dedans en dehors, & qui se joignent avec eux, en formant un angle aigu en dehors.

(38) L. c. Tab. V. fig. I. 79. 80. 81. 96.

(38*) L. c. §. 327.

(39) Tab. I. fig. I. bb. II. bb. III. bb. IV aa. V bb & Tab. II.

(40) Tab. II. 7. 8.

(41) Tab. II. 7. 1. & Tab. III. 7. 1.

paris nervorum dorſalium (42) robur aliquod accedit. Secunda & inferior radix ſupra corpus ſecundæ vertebræ lumborum oblique ad ganglion lumbo intercoſtale ſecundum nervi ſympathici magni deſcendit (43), eo ſervato ordine, ut prior angulo quaſi recto, altera autem acuto, ſuo quævis ganglio inſeratur. — A *ſecundo pari*, modo ſupra deſcripto, duo iterum rami acceſſorii oriuntur (44). Horum primus, atque ſuperior (45), recta quoque via ſupra ſecundam vertebram lumborum in ganglion lumbointercoſtale ſecundum, quod cartilagini intermediæ ſecundæ et tertiæ vertebræ lumborum incumbit, progreditur. Secundus ramus, iſque inferior (46), ſub angulo acuto in duo filamenta bifurcatur, quorum ſuperius (47) ſub angulo recto ganglio ſecundo ſeſe ingerit, illudque adauget; inferius (48) autem oblique ſupra tertiam vertebram lumborum progrediens, ganglio lumbointercoſtali tertio, cartilagini nimirum intermediæ tertiæ & quartæ lumborum vertebræ incumbenti, immiſcetur (49). — Unicus duntaxat ramus acceſſorius (50) ê *tertio pari* naſcitur, verſus tertiam lumborum vertebram aſcendens, lineam curvam deſcribens, atque præfatum ganglion lumbointercoſtale (51) ingrediens, quod inde adaugetur. — Ex *quarto* autem *pari* duo iterum rami acceſſorii proveniunt, quorum ſuperior ſerpentino flexu (52) ſupra corpus quartæ vertebræ lumborum tertio ganglio nervi ſympathici (53), inferior autem (54) ganglio lumbointerco-

ſta-

(42) Tab. II. 6. & Tab. III. 6.
(43) Ibi. 8. 2. & Tab. III. 8. 2.
(44) Ibi. 9. 10.
(45) Ibi. 9.
(46) Ibi. 10.
(47) Ibi. 11. —— Tab. III. 10.
(48) Ibi. 12. —— Tab. III. 11.
(49) Ibi. 3. —— Tab. III. 3.
(50) Ibi. 13. —— Tab. III. 12.
(51) Ibi. 3. —— Tab III. 3.
(52) Ibi. 14. —— Tab. III. 13.
(53) Ibi. 3. —— Tab. III. 3.
(54) Ibi. 15. —— Tab. III. 14.

ſtali, quod ſub cartilagine intermedia ſitum eſt, inſeritur (55). — *Quintum par* unicum iterum duntaxat nervum acceſſorium (56) largitur, qui paulo poſt in duos ramos bipartitur. Ramus ſuperior ſerpentino flexu ad ganglion lumbo intercoſtale quartum (57) ſupra corpus quintæ vertebræ lumborum aſcendit. Ramus inferior ad quintum ganglion lumbointercoſtale (58), cartilagini intermediæ quintæ vertebræ lumborum et oſſi ſacro incumbens, progreditur. Inde ſeorſim ramuli quidam exeunt, & ſupra os ſacrum tendunt; ut dein cum nervis oſſis ſacri conjuncti (59) ganglia ſacrointercoſtalia efforment. Omnes nervi acceſſorii in decurſu maxima parte initiis muſculi Pſoæ obteguntur (60). Subinde hi rami acceſſorii, teſte WALTERO, arterias lumbales amplectuntur, quod mihi equidem videre nunquam contigit; arterias enim ſub his ramis decurrere ſemper obſervavi. *)

§. XII.

Conſectaria ex iteratis diſquiſitionibus deducta.

Supereſt, ut conſectaria nunc exponam, quæ ex numeroſis, atque omni cum ſolertia in cadaveribus inſtitutis diſquiſitionibus deducere mihi licuit. Atque inde patebit, an, et quouſque adductæ (§§. IX. & X.) aliorum præſtantiſſimorum virorum ſententiæ, meæque obſervationes (§. XI.) cum natura conſentiant, aut ab ea diſcedant. Conſectaria autem ferme ea ſunt, quæ ſequuntur.

I.

---

(55) Tab. II. 44. Tab. III. 4.
(56) Ibi. 16. Tab. III. 15.
(57) Ibi. 44. 17.
(58) Ibi. 5. 18. & Tab. III. 16.
(59) Ibi. γ. γ. γ. γ. Tab. III. 17. 18. 19.
(60) Tab. III. H. H.

*) In tabula II. & III. rami acceſſorii nervi ſympathici magni, ſolito craſſiores comparent. Id autem ſolummodo indicare volui, eos quandoque admodum robuſtos inveniri, etſi plerumque hi rami tenuiſſima tantum filamenta ſint. Eam, qua delineati ſunt craſſitie, in meo præparato anatomico referunt.

I. Rami anaſtomotici, qui â nervis lumbalibus ad nervum ſympathicum magnum tendunt, non naſcuntur â ganglio ipſo nervorum lumbalium, ſed inferius ê faſciculis radicum anteriorum (61), trunco lumbali poſteriori exadverſo, at paulo profundius, originem ducunt. Hi itaque rami inter nervos lumbales ſecundum nervorum ordinem conſtituunt.

II. Nunquam talis nervus acceſſorius ab illo trunco exit, qui duo paria nervorum inter ſe conjungit, & quem poſtea ſub nomine *nervi communicantis*, *ſeu lumbalis anterioris*, aut *anſæ communicationis* adumbrabo. Etſi enim forſan nervus quidam ad nervum ſympathicum magnum acceſſorius ex anſa communicationis nervea emergere videatur, nihilominus tamen ope tantum telæ celluloſæ conjunctus juxta aut ſupra illam jacet. Non tamen, niſi magna cum patientia, & cultro anatomico in mucronem ſcindentem acuminato

(61) L. c. Lib. I. Cap. I. §. 12. Cel. SCARPA ait: „Liceat mihi proponere, quæ obſervando detegere contigit, nimirum hunc intercoſtalis acceſſorium nervum, ſive „unicus, ſive duplex fuerit, ſive demum, quod aliquando fit, unicus ipſe exo„riens in duplicem ſurculum partiatur, nunquam ab origine, quam VIEUSSENIUS „indicaverat, nunquam â ſpinali ganglio prodiiſſe, ſed ubi unicus, licet bipar„titus fuerat, perpetuo infra ganglion ê trunco nervi ſpinalis exiiſſe, uti dictum „eſt, ubi vero duplex, perpetuo ex anteriori facie nervi ſpinalis utrumque ramum „ad intercoſtalem acceſſorium emerſiſſe. „ Sagaciſſimus itaque hic anatomicus primus omnium, hoc docuit. Veteres id ignorarunt; recentiores vero novam veritatem tardius amplectuntur. Meæ obſervationes cum illis cel. SCARPÆ ita concordant, ut in duabus tantum rebus aliquis diſſenſus obtineat. Ille enim docet, ramos acceſſorios ſimplices ſemper infra ganglion oriri, quod ex meis quoque obſervationibus conſtat. Aſſerit porro (§. XI.), illos ſemper ex coalitione anteriorum & poſteriorum radicum emergere; mea autem ex quinque cadaveribus deſumpta ſpecimina, inſtituta non niſi poſt macerationem diſquiſitione, me omnino certum faciunt, intimam hanc utramque radicum copulam, profundius, quam in horum ramorum acceſſoriorum origine, locum habere. — Dein porro cel. vir docet (§.XII.), duplices tantum ex ſuperficie anteriori nervorum lumbalium (quos radicum anteriorum faſciculos appello) oriri; iteratis autem obſervationibus certus ſum, tam ſimplices quam duplices ramos, priuſquam utræque radices ê medulla ſpinali proſilientes intimiorem copulam inierint, perpetuo ex facie anteriori emergere.

instructus, truncum hujus nervi acceſſorii ad primam uſque originem deteget (62).

III. Non conſtans horum nervorum acceſſoriorum numerus eſt. In quovis pari unum perpetuo, plerumque duos, rariſſime tres, inveni. Si unicus duntaxat ramus adfuerit, is in duo filamenta partitur, quæ non raro in duo diverſa ganglia lumbo-intercoſtalia inſeruntur. Si duplex fuerit origo, fibrillæ in unum quandoque ramum denuo conjunctæ eadem via ad quoddam ganglion progrediuntur.

IV. Qui ſimplicem originem habent, craſſiores; qui vero duplicem, tenuiores ſunt; illorum longitudo pro linea, quam in decurſu deſcribunt, diverſa eſt.

V. Magnitudo & craſſities gangliorum lumbo-intercoſtalium non perpetuo eandem ad nervorum acceſſoriorum numerum rationem obſervant, ſubinde enim unicus nervus acceſſorius valde robuſto ganglio immiſcetur, cum contra duo nervi acceſſorii tenui omnino ganglio quandoque ingeruntur. — Hæc ganglia ex ſapientiſſimo naturæ inſtituto ad ligamentoſas cartilagines intermedias potius, quam ad ipſa corpora vertebrarum poſita fuiſſe, vero ſimillimum eſt.

VI. Omnia porro quinque ganglia lumbo-intercoſtalia ratione ſubſequentium vertebrarum lumborum, quæ continuo in majus volumen creſcunt, non itidem pari paſſu majora evadunt; (63); quartum enim ganglion nonnunquam magnitudine ſecundum tertiumve ganglion adeo non ſuperat, ut potius utroque tenuius inveniatur.

VII.

---

(62) Tab. I. fig. I. & equidem videtur, ac ſi talis nervus acceſſorius â ſurculo quodam ſecundi paris, ad formandum utpote nervum ſpermaticum externum concurrente, originem duceret. Sed hunc quoque ſurculum facile ad ſuam uſque originem proſequi licuiſſet, niſi timuiſſem, ne ſuccoſus nervulus, quem præparatum aſſervari & delineari volui, ſub manu difflueret.

(63) Jn WALTERI Tabula I. fig. I. 61. 78. 98. 116. 148. hæcce â magnitudine vertebrarum lumborum diverſe recedens gangliorum ratio exacte delineata eſt; quartum enim ganglion lumbo-intercoſtale 116) ſecundo 78) tertiove 98) debilius reperitur.

VII. Non perpetuo quinque ganglia inveni; ſæpe tria, aut quatuor adſunt: in eo tamen loco, ubi nervus acceſſorius inſeritur, nervus ſympathicus magnus in paulo majorem latitudinem expanditur; atque hæc intumeſcentia deficientis ganglii vices ſupplere videtur (64).

VIII. Corpora gangliorum plerumque plano-oblonga, rarius rotundo-oblonga, ſæpius autem complanata, & quaſi, quoad ſubſtantiam, exinanita exſuccidaque inveniuntur. Ceterum cel. SCARPA evidenter demonſtravit, neque VIEUSSENIUM (65), neque accuratiſſimum MORGAGNIUM (66) hanc doctrinam pro rei dignitate pertractaſſe. Ille enim aſſerit, ramum communicantem ſuperiorem de nervo ſympathico magno in nervos medullæ ſpinalis migrare, inferiorem autem â nervis medullæ ſpinalis ad nervum ſympathicum magnum progredi; hic vero, quomodocunque ſe res habeat, parum curat.

§. XIII.

III. De truncis nerveis lumbalibus anticis in genere.

Quamprimum ê porrectis radicibus poſticis truncus lumbalis poſterior, & ex productis radicibus anticis nervi ad nervum ſympathicum magnum acceſſorii abierunt, radices tam anteriores, quam poſteriores in unum faſciculum nerveum, qui continuo ab uno pari ad alterum craſſior evadit, *tertiumque ordinem* conſtituit, colliguntur; atque hunc ego faciſculum, cum ſubſequenti iterum pari ſe perpetuo jungentem, *anſam communicationis nerveam*, *ſeu truncum nerveum lumbalem anteriorem* (67) adpello. Mediante enim tali anſa primum par nervorum lumbalium cum ultimo pari nervorum dor-

(64) WALTERUS ſub Nro. 130. loc. cit. hanc increſcentem latitudinem exhibuit ſic, ut quaſi ganglion quoddam ſextum mentiatur.

(65) L. c. p. 371. & Tab. XXIII. Nro. 89. 91.

(66) Advers. anat. Animadv. 37.

(67) Tab. I. fig. I D. II D. III D. IV D. V D. & Tab. II. 31. 33. 60. 61. 81.

dorſalium (68) eodem modo cohæret, uti ope aliarum quatuor anſarum quinque paria nervorum lumbalium inter ſe cohærent, & univerſim omnes nervi ſpinales intercedentibus ejusmodi anſis ſocietatem quandam ineunt. Quod ergo cel. SCARPA, in nervis cervicalibus & dorſalibus, *ſpeciem quandam arcus* vocat, aptiori forſan nomine *anſæ communicationis nerveæ* inſignitur. Jam ſupra (§. XII.) admonui, filamenta anteriorum & poſteriorum medullæ ſpinalis radicum mox infra ganglion quodammodo conjungi, & quidem ope quorundam ſtaminum. Non equidem diſquiſivi, an & quouſque eadem de gangliis cervicalibus & dorſalibus, nec non illorum radicibus, doctrina typum veri habeat, atque idcirco de rei veritate dubitare nefas eſſet. Quod quidem ſubinde in eo loco, ubi nimirum ex facie poſtica poſterior truncus lumbalis, & ê regione ex facie anteriori nervus quidam ad nervum ſympathicum magnum acceſſorius egrediuntur, pauca aliqua reciproca ſtamina (69) *parvam quandam communicationem* inter utrasque radices efficiant, utique non nego. In quonam autem loco vera decuſſatio atque intimum illud connubium contingat, nunc generatim, & in ſequentibus, cum de ſingulis anſis nerveis ſermo erit, ſingulatim exponam. Unicam interim, quod nervos lumbales in genere ſpectat, exceptionem locum habere exiſtimo, ſi alioquin id, quod cel. SCARPA de ſupra opinato arcu, cui ego *anſæ communicationis* nomen impono, tradit, quoad unumquodque par nervorum cervicalium & dorſalium, etſi nullus dubitem, veritati conſentaneum ſit. Nam perſpicaciſſimus hic inciſor (70) adfirmat, ganglia ſpinalia, licet generico nomine *ſimplicia* vocentur, non tamen ſolum ex radicibus poſterioribus medullæ ſpinalis compoſita eſſe, ſed et alia ſtamina â quolibet pari ſuperiori nervorum ſpinalium nanciſci. Et porro tradit celeb. vir, hæcce â quovis pari ſuperiori ad proxime ſubjacens ganglion ſpinale exporrecta ſtamina in ganglio ipſo in tenuiſſimas totidem fibrillas, ac illa radicum poſteriorum ſtamina, diſſolvi; in ipſo autem dein ganglio utrumque filamentorum genus

(68) Tab. II. 1. 21.
(69) Tab. I. fig. I. aa. V. aa.
(70) L. c. lib. I. Cap. III. §. III. p. 84. 85.

genus denuo intime commiſceri, ut itaque nervea quævis anſa communicationis â tali ganglio enata ex duplici genere filamentorum in ipſo ganglio permixtorum conſtet. Verum enim vero, ſi hoc de nervis cervicalibus & dorſalibus, quos cel. SCARPA disquiſitioni ſubjecit, verum ſit, id juxta meas obſervationes non itidem de gangliis & anſis communicationis nervorum lumbalium afferi poteſt. In iis enim anſa communicationis ſolummodo ex permixtis inter ſe filamentis poſteriorum ê ganglio ſimplici progredientium, et quæ adjacent, anteriorum radicum conſtat. Utraque enim filamenta, ope telæ celluloſæ in faſciculum eo fortiorem, quo majus evadit cujuſvis paris volumen, colliguntur. Quilibet horum faſciculorum extrorſum verſus, â corporibus vertebrarum paululum declinans, oblique tandem in faſciculum ſubjacentis paris inſeritur, unde dein perpetuo quædam *anſa communicationis* efficitur. Hæc autem inſertio ratione ſubjacentium nervorum lumbalium majori ſemper intervallo â ganglio diſtat ſic, ut copula anſæ primi paris cum anſa ſubſequente jamjam ganglio ſecundi paris proximior ſit (71), quam copula anſæ ſecundi paris cum anſa tertii, utpote quæ conjunctio multo majori intervallo â ganglio tertii paris diſtat (72). Hoc tamen non obſtante anſa communicationis ê duplici filamentorum genere coaleſcit; connubium enim illud, quod ſecundum cel. SCARPAM in ganglio celebratur, radices tam poſteriores quam anteriores in faſciculis ineunt; ut ex ſequentibus, ubi nimirum anſam communicationis ſingulorum parium ex inſtituto deſcribam, uberius elucebit.

§. XIV.

Primum par nervorum lumbalium, & anſa communicationis ejusdem paris.

In *primo pari nervorum lumbalium* (73) mox infra ganglion radices anteriores, & poſteriores, primam anſam communicationis conſtituentes, non tan-

(71) Tab. I. fig. I. E. II. E. III E. IV E. V E.
(72) Ibi. fig. I. F. II. G. III. G. IV. G. V. G.
(73) Ibi. fig. I i B. II i B. III i B. IV i B. V i B. & Tab. II. 22.

tantum in faſciculis cum primo pari conjunctis, ſed etiam in ortu reliquorum ex hoc pari egredientium ramorum (ſolo trunco lumbali poſteriori excepto) ſeſe decuſſant & permiſcent, ita quidem, ut quodvis ex hoc pari natum filamentum nerveum, mox ubi comparet, jam ex fibrillis anteriorum & poſteriorum radicum compoſitum ſit. Specimine anatomico methodice dirimato, hæcce decuſſatio atque permixtio tam in ortu *nervi ilio-hypogaſtrici* quam *ilio-inguinalis* armato oculo detegitur. Sed etiam nudis oculis, anſa nimirum communicationis tenerrime præparata, connubium hoc in illo loco, ubi anſa ſecundo nervorum lumbalium pari inſeritur, & ad conſtituendum nervum ſpermaticum externum concurrit, conſpicere licet. Apparet enim, quomodo in ortu una fibrilla in alteram confluit, & paulo inferius una ex altera progreditur; imo tunc etiam, poſtquam nervus ſpermaticus externus (74) ex concurrente ramo ſecundi paris (75) formatus eſt, fibrillæ hæ alternare obſervantur (76). Anſa autem ipſa communicationis formatur, cum nervus lumbalis anterior primi paris, licet admodum tenuis, et valde ſuccoſus, ex pluribus tamen filamentis conflatus, in nerveum ê ganglio provenientem faſciculum ſecundi paris, quaſi ſub angulo acuto, inſeritur. Anſa communicationis ad latus corporis ſecundæ vertebræ lumbalis poſita eſt, ita ut ferme proceſſui transverſo hujus vertebræ incumbere videatur (77).

§. XV.

Secundum par nervorum lumbalium, & anſa communicationis ejusdem paris.

Truncus anterior lumbalis ſecundi paris (78), qui, pariter ſub angulo ferme acuto, cum trunco lumbali anteriori tertii (79) paris (at majori intervallo

vallo

(74) Tab. I. fig. I c. II c. III c. IV c. V c.
(75) Ibi. fig. I d. II d. III d. IV d. V d.
(76) Ibi. fig. IV b.
(77) Tab. II. 31. 31.
(78) Tab. I. fig. I 2 B. II 2 B. III 2 B. IV 2 B. V 2 B. et Tab. II. 32. 33. 33.
(79) Ibi. fig. I F. II G. III G. IV G. V G.

vallo à ganglio tertii paris, quam id in secundo pari factum est) ansam nimirum communicationis secundi paris effingendo, conjungitur, partim ex filamentis primi paris, maxima parte autem ex propriis filamentis posteriorum & anteriorum radicum medullæ spinalis constat. Hæcce filamenta in decursu ansæ adeo intimo & fere indissolubili nexu sibi invicem junguntur, ut nullum filamentum ab altero separari, aut ad suam usque originem reduci possit (80). Ansa hæc, fere uti ansa secundi paris, processui transverso tertiæ vertebræ lumborum, paulo duntaxat remotius â corpore illius, adjacet. Primo quidem intuitu filamenta hæc parallela juxta se invicem decurrere videntur (81). Verum enim vero, nervis per aliquot dies leni macerationi expositis, & distracta dein ope acus nonnihil ansa, manifeste patet, filamenta illa haud parallela sibi imposita esse, aut juxta se invicem decurrere, sed frequenter decussari, & mutuo ad se invicem accedere & recedere, atque ope tenuissimæ telæ cellulosæ hoc modo cohærere (83). Porro quodsi patienter difficili ac subtili labori ad telam cellulosam filamenta nectentem caute dissolvendam nos velimus accingere, intima tunc illa, quæ in tabula prima â nobis fuit exposita (84), decussatio comparet.

§. XVI.

Tertium par nervorum lumbalium, & ansa communicationis ejusdem paris.

Ansa communicationis tertii paris (85), inter omnes maxime intricata, & processui transverso quartæ vertebræ lumborum (86) imposita, ex congerie nexuque filamentorum nerveorum primi, secundi, tertii, atque paris quarti for-

(80) Tab. I. fig. IV d. V d.
(81) Tab. II. 33.
(83) Tab. I. fig. II. III.
(84) Ibi. fig. IV. d. d. d.
(85) Ibi. fig. I 3 B. II 3 B. III 3 B. IV 3 B. V 3 B. et Tab. II. 60. 60.
(86) Tab. II et III.

formatur. Ea autem filamentorum, quæ in primo & fecûndo pari fub angulo ferme acuto obfervatur permixtio et decuffatio, in tertia anfa fub angulo perfecte acuto peragitur, filamentis utpote tertii & quarti paris extrorfum verfus os ilium, mufculo iliaco obtectum, tendentibus. Rationem autem, qua tertia anfa communicationis â quatuor nervorum paribus componitur, illico exponam. Secundam anfam nerveam mox in fuo ê fecundo pari ortu haud amplius fimplicem originem habere, fed quibusdam, paucis licet furculis, primi paris commixtam effe, (§. XIV.) demonftravi. Jam vero fafciculi fecundi paris (87) filamentis primi paris commixti ad fafciculos tertii paris (88) tendunt, et juxta illos non paralleli, fed reciprocis filamentis connexi, ad latus illorum, per breve admodum fpatium decurrunt. Quo facto filamenta fafciculi fecundi paris cum filamentis tertii paris (89) fefe decuffant, atque intimius permifcent, et brevi deinde fafciculos nerveos â quarto pari nervorum lumbalium provenientes (90) attingunt. *Ab illo, quo hæcce quatuor parium filamenta necti incipiunt puncto* (91), GENUINUS ATQUE INSIGNIS PLEXUS ORDITUR, *quem infra accuratius defcribendum merito* PLEXUM LUMBALEM *appellare poffe exiftimo.* Id interim notare juvat, anfam tertii paris robore equidem, non item longitudine, reliquas antecellere anfas, atque id fibi proprium habere, ut deductis illis ad formationem *nervi obturatorii* concurrentibus filamentis, in pleno integritatis et roboris ftatu permaneat, non modo ad confervandum cum quarto pari nervorum lumbalium nexum, fed ideo potiffimum, quod ea ipfa quosdam adhuc quarti paris fafciculos colligat, et novis viribus adaucta ad plexus lumbalis formationem fymbolum fuum conferat. In novem cadaveribus quartum par *octies* tribus (id eft plurimis) in anfam tertii paris (92), *femel* duobus tantum fafciculis inferi obfervavi; atque in hoc

(87) Tab. I. fig. IV d. V d.
(88) Ibid. fig. IV B 3. V B 3.
(89) Ibid. fig. IV β. V β.
(90) Ibid. fig. IV D. V D.
(91) Ibid. fig. IV H. V H.
(92) Ibid. fig. I. 4. B. II 4. B. III 4. B. IV 4. B.

hoc posteriori casu fasciculos tertii paris eo robustiores inveni (93). Eadem ratio in tabula cel. WALTERI (94) exhibetur.

§. XVII.

Quartum par nervorum lumbalium, et ansæ communicantes ejusdem paris.

Quartum par nervorum lumbalium, (*) si consuetum naturæ ordinem (§. XV.) perpendimus, huic in genere usui potissimum esse dicatum videtur, ut in proxima hac tertii paris nervorum serie, ansa sua *superiori breviorique* (**) ad plexus lumbalis formationem concurrat. Parva portio hujus paris *ansæ longiori inferiorique* (***) et quinto pari inservit. Ultima hæc ansa, partim processui transverso quintæ lumborum vertebræ incumbens, atque tunc ultra synchondrosin ultimæ vertebræ lumborum et ossis sacri excurrens, omnium longissima et tenuissima est. Si autem robustior sit, tunc plerumque quintum par tenuius reperitur, et ansa hunc defectum hoc in casu supplet. Ceterum quartum par â secundo et tertio ob triplicem rationem differt: I) simplici enim fabrica constat, et ex propriis filamentis conflatum est, cum priora tria paria permixtis invicem filamentis formentur (§. XIV.); II) *duplicem* porro ansam habet, unam *superiorem brevemque*, quæ plexui lumbali, alteram *inferiorem* at *longiorem*, quæ quinto pari prospicit; III) illius tandem filamenta non more reliquorum inter se decussantur, et intime permiscentur, sed sparsis tantum, iisque perpaucis, surculis nerveis societatem quandam ineunt. Hæc ansa quinto pari inseritur, non longe plerumque ab illo loco, ubi hoc cum primo pari nervorum sacralium confluit. Enasci ab hac ansa surculos quosdam, cum aliis quibusdam surculis quinti paris conjunctos,

 ad

(93) Tab. I. fig. V. 3 B.
(94) L. c. Tab. I. fig. I. 135. 28.
(*) Tab. I. fig. I. 4. B. II 4. B. III 4. B. IV 4. B. V. 4. B. Tab. II. 61.
(**) Tab. II. 61.
(***) Tab. II. 80.

ad musculum glutæum medium et parvum progredientes, cel. WALTERUS docet. Attamen ſurculi memorati nullam conſtantem legem obſervant (95), et ut verum fatear, ab ultimo interdum pari nervorum lumbalium ſurculos quosdam, nullos autem ab ipſa anſa, ad hos musculos tendere vidi. Alia adhuc *anſa transverſa nervea* notanda eſt, quæ â plexu lumbali ad anſam longiorem inferiorem abire videtur, etſi ceteroquin rara admodum ſit hæc obſervatio. In triginta cadaveribus bis ſolummodo hanc anſam videre mihi contigit (96). WINSLOVIUS etiam & STYXIUS hujus anſæ mentionem faciunt, attamen illorum deſcriptio â mea paſsim recedit. Cl. STYX enim aſserit, hanc anſam â quinto pari vel ad fasciculos â quarto pari ad conſtituendum nervum cruralem transmiſsos, vel ad ipſum nervum cruralem tendere. WINSLOVIUS vero autumat, parvum ramulum ê quinto pari enasci, qui antrorſum nervo crurali inſeratur (97). Hunc caſum poſsibilem eſſe, equidem haud nego; at ex binis meis obſervationibus, atque ſolerti disquiſitione id didici: I.) Præſente *hac anſa transverſa* quartam anſam rectam (i. e. inferiorem longiorem) multo tenuiorem reperi; II.) nunquam hæc anſa ex ipſo quinto pari enascebatur; III.) Explicato *plexu lumbali* videre mihi contigit, filamenta hujus anſæ ê plexu nasci, in medium anſæ inferioris quarti paris inſeri, et una ulterius descendere. Probabilius inde eſt, anſam hanc robori anſæ inferioris proſpicere, nunquam autem nervo crurali dicatam eſſe.

§. XVIII.

---

(95) L. c. Tab. I. fig. I. 374. 375. 376. 377.

(96) Tab. II. 82. 82.

(97) STYX L. c. §. II. p. 7. Huic ſecundo trunco (nempe funiculis à nervo lumbali quarto provenientibus) ramulus accedit, interdum ex nervo lumb. quint., quem in aliis cadaveribus ad ipſum nervum cruralem jam formatum abire, et ſeſe huic inſerere vidi. — WINSLOVIUS L. c. §. 295. Parvum quoque ramulum antrorſum ſeſe incurvando nervo crurali ſubminiſtrat.

§. XVIII.

Quintum par nervorum lumbalium.

Quintum par nervorum lumbalium(98) præter ſuum cum quarto pari, mediante nimirum illius anſa (99), conſortium, neque cum primis quatuor paribus nervorum lumbalium, neque univerſim cum truncis ramisque ad regionem iliacam et anteriorem femoris faciem tendentibus commercium aliquod habet. Nam iſtud par conſtanti naturæ lege cum primo pari nervorum ſacralium ſe ſe conjungens ad formandum *plexum iſchiadicum* concurrit. Et hæcce de quinto pari ſufficiant, ne Commentarius noſter ultra juſtos limites excurrat.

§. XIX.

Pars ſciagraphiæ revocata.

Perduxi delineatum (§. V.) operis hujus inſtitutum eo hucusque, ut ſumma cum probabilitate (§. VI.) definiverim, quot paria nervorum lumbalium perpetua naturæ lege conſtituta ſint. Originem deinde horum nervorum ê medulla ſpinali, et gangliorum rationem tam ſecundum anteceſsorum meorum doctrinam, quam juxta propria obſervata (§. VII.) deſcripſi. Inde longius progredientis naturæ veſtigia proſequutus juxta ordinem, quo natura infra ganglia truncos ramosque diſtribuit, primo originem et decurſum *quinque truncorum nerveorum lumbalium poſteriorum* (§. VIII.); poſtea (§. IX. X. XI.) originem *nervorum* ad *ſympathicum magnum acceſsoriorum* expoſui; deducta dein ex horum nervorum acceſſoriorum disquiſitione conſectaria ad octo capita reduxi (§. XII.). Ab his juxta ordinem ad tertium truncum progreſſus ſum, quem *truncum lumbalem anteriorem* aut *anſam communicationis nerveam* adpello. Quum itaque in antecedentibus unumquemque nervorum lumbalium locum, ex quo ramus aliquis nerveus oriri poteſt, expenſe delineaverim, facile nunc ſingulorum ramorum lateralium s. ſecundariorum ê truncis pro-

(98) Tab. I. fig. I. 5 B. II 5 B. III. 5 B. IV 5 B. V 5 B. Tab. II. 81.
(99) Ibi. fig. I J. II J. III J. IV J. V J. et Tab. II. 80.

provenientium descriptionem adgredior; eum, uti ab initio (§. V.), ordinem servaturus, ut nervos secundarios ea ratione exponam, qua inter singula semper paria enascuntur. Hac doctrina tandem ad finem perducta, ad accuratiorem plexus, duorumque truncorum ex illo progredientium explanationem transibo.

§. XX.

Ratio, cur diversi diversas denominationes nervis lumbalibus imponant.

Ratio autem diversarum denominationum et descriptionum, quas autores de singulis nervorum lumbalium nervis secundariis tradiderunt, ex iis, quæ sequuntur, potissimum derivanda est. I.) Res ipsa universim â VIEUSSENII et WINSLOVII temporibus, non ea, qua oporteret, solertia investigabatur. II.) Eo ipso, quod anatomici singula nervorum paria seorsim, neque in nexu ad communem aliquem finem conspirante considerarint, et methodo insuper parum apta, WINSLOVIO præeunte, usi, in quovis pari ramos et *anteriores*, et *posteriores*, et *internos*, et *externos* descripserint; hinc tot rami nullo characteristico nomine insigniuntur. III.) Accedit nervorum quorundam secundariorum inconstantia. Ex his ratio patet, cur circa doctrinam de nervis lumbalibus quædam obscuritas, imo etiam contradictio inter neurographos observetur. Cum autem naturam omni solertia secutus plurimos forte casus observassem, mox in modum disquisivi, quo natura aut apparentem defectum supplere, aut apparentem aliquam redundantiam imminuere conetur. Originem et decursum singulorum nervorum secundariorum iteratis disquisitionibus subjeci; atque hinc incerta hucusque corrigere, dubia certiora reddere, et simulatas quandoque naturam inter & naturæ indagatores contradictiones solvere mihi licebit.

RAMI NERVORUM LUMBALIUM SECUNDARII CONSTANTES.

§. XXI.

I. Nervus ilio-hypogaſtricus.

Hiſtoria iſtius nervi.

Primus ramus lateralis s. ſecundarius â *primo* nimirum *pari nervorum lumbalium* extrorſum progrediens (100), habita ad ejus decurſum ratione, *Nervus ilio-hypogaſtricus* â me vocatur. VESALIUS hunc nervum neque deſcriptum neque delineatum exhibet. EUSTACHIUS equidem talem ramum delineavit, cum autem nullam deſcriptionem addiderit, incertum eſt, an hunc nervum, quem ego *ilio-hypogaſtricum* nomino, aut an alium, poſtea ſub nomine nervi *ilio-inguinalis* exponendum, ſiſtere voluerit. PETRUS BERRETINUS hunc nervum (Tab. XII.) breviter abſciſſum oſtendit; illius vero commentator PETRIOLUS neque verbulo hujus rami mentionem facit. BARTHOLINUS, more PETRIOLI, iſtius nervi haud meminit. — VIEUSSENIUS (Tab. XXVIII.) tres innominatos ramos depinxit, quorum medius in quinque ſurculos dividitur. Omnes autem rami ſurculique ſoli incedunt, et musculis abdominalibus, integumentis communibus oſſis ilium & oſſis ſacri, nec non peritonæo inſerviunt. — Apud WINSLOVIUM hicce ramus audit *ramus anterior externus*; *la troisieme branche de la premiere Paire lombaire* â SABATIERO, *et ramorum quatuor primi paris tertius* â cl. HAASIO vocatur. — Cel. WALTERUS hunc ramum (Tab. I. fig. I. 82. 83. 84.) in quatuor ramos partitum exhibet, quos, quippe ad musculos abdominales abeuntes, ramulos musculares appellat. Cel. MARTINUS nullam hujus nervi mentionem facit. Cl. GÜNTHER autem de hoc nervo tanquam ramo ſecundo primi paris loquitur. Cl. FISCHERUS tandem originem noſtri nervi haud equidem in tabulis delineavit,

(100) Tab. I. fig. I e. II e. III e. IV e. & Tab. II. 83. 83. Tab. III. 80.

avit, ejus tamen decursum atque terminationem (Tab. II. fig. I. 1. 2. 3. 4. 5. 6. et fig. II. de 6. usque ad 27.) nitide ostendit. Ceterum hujus nervi descriptio sub nomine *secundi primi paris rami* ab illo anatomico promulgata meis observationibus præ cæteris respondet, licet hinc inde quoque dissentiamus. — Uti autem hic nervus varia nomina obtinuit, ita quoque ejus decursus vario modo exaratur; id quod ex anatomicorum operibus, hucusque citatis, cuique facile patet. An forsan adeo inconstans est hujus nervi decursus? aut an is nervus subinde omnino deest?

Disquisitio mea.

Meas circa hanc rem observationes candide exponam. Oritur autem hic nervus plerumque ex commistis jamjam sub ganglio primi paris anterioribus et posterioribus radicibus, quandoque duobus (102), subinde autem tribus (103) filamentis, quæ tam in sua origine, quam in suo decursu juxta se invicem posita, ope nectentis telæ cellulosæ ita cohærent, ut unicum planocompressum nervum simulent (104); raro hæc filamenta per parvas propagines in se invicem transeunt; conjungitur nervus subinde etiam in ortu suo cum nervo *ilio-inguinali*, qui paulo inferius enascitur, sic ut quasi juxta se invicem ponantur. Qualiscunque autem ejus origo sit, si nervos lumbales extrorsum versus os ilium consideremus, semper â superiori parte primus apparet (105), quippe inter marginem superiorem musculi Psoæ magni et marginem interiorem musculi quadrati lumborum (106) proveniens oblique deorsum supra quadratum musculum versus cristam ossis ilium decurrit. Priusquam vero hunc musculum attingit, in margine exteriori musculi quadrati lumborum (107), non longe â puncto insertionis, musculum transversum abdominis perforat, et dein exadverso ossis ilium in duos ramos (108) dividi-

(102) Tab. I. fig. I. ff. IV ff.
(103) Ibi. fig. II. fff. III. fff.
(104) Tab. II. 23.
(105) Tab. II. 23. — — — et Tab. III. 20. 20.
(106) Ibi. C. C. — — — et Tab. III. C. C.
(107) Ibi. C. — — — et Tab. III. C.
(108) Ibi. 25. 24. — — Tab. III. 22. 23.

dividitur. *Ramus interior* (109) ramum exteriorem fuperscandens, mox quoque criftam offis ilium fuperfilit, dein ferpentino flexu musculos obliquos abdominis, atque aponevrofin musculi latiffimi dorfi perforando, tam antrorfum in parte exteriori femoris super fasciam latam, quam retrorfum in membrana adipofa mufculis glutæis fuperftrata multis furculis confumitur. — *Ramus externus* (110) â ramo interno fuperfcanfus, ipfe nunc ramus internus (111) evadit, brevi autem fasciculos musculi obliqui minoris, et tandem in regione fuperioris et anterioris criftæ offis ilium fafciculos mufculi obliqui majoris perforat, et fuper expanfionem aponeuroticam mufculi obliqui majoris in membrana adipofa regionis hypogaftricæ, non longe ab annulo abdominali, lineæ albæ ex adverfo fere, pluribus furculis evanefcit. Hinc patet, me hunc nervum lateralem primi paris lumbalium ob fuum decurfum recte *nervum ilio-hypogaftricum* appellare. Cæterum nunquam hunc nervum neque in glandulas inguinales, ut WINSLOVIUS ait, neque ut cl. SABATIERUS et HAASIUS afferunt, in cute fuper annulum abdominalem et regionem pubis evanescere, neque cum cl. FISCHERO ad fcrotum prorepere vidi. Perpetuo enim, fi adfuerit, modo nunc memorato decurrit, atque hinc non immerito â cel. WALTERO tanquam ramus muscularis confideratur.

§. XXII.

II. Nervus ilio-inguinalis.

Secundum ramum lateralem f. *fecundarium*, qui infra defcriptum (§. XXI.) nervum ilio-hypogaftricum â primo pari extrorfum progreditur (112), ratione fui decurfus *nervum ilio-inguinalem* appello.

Hi-

(109) Tab. II. 25. Tab. III. 23.
(110) Ibi 24. Ibi. 22.
(111) Ibi. 24. Ibi. 22.
(112) Tab. I. fig. I. g. II. g. III. g. IV. g. et Tab. II. 26. 26. Tab. III. 24.

Hiſtoria iſtius nervi.

Nervi noſtri origo neque â VESALIO & EUSTACHIO, neque â BERRETINO repræſentatur, illius autem finem EUSTACHIUS (Tab. VIII. edit. Lancis) annotaſſe videtur, nulla tamen addita explicatione. — BERRETINUS vero hujus nervi terminationem (Tab. I. n. u. tt.) ſub nomine *nervi lumbalis*, *qui ad pudenda vergit*, ſat lucide delineavit. — VIEUSSENIUS ſua methodo inter omnes veteres anatomicos accuratiſſime nervum hunc deſcripſiſſet, niſi communi ævi ſui errore, ſeptem paria nervorum cervicalium, duodecim paria dorſalium, quinque paria nervorum lumbalium, et tria ſacralium numeraſſet; hinc illius delineationes ſubinde admodum obſcuræ fiunt. Utrumque ramum, ut mihi equidem videtur, tam nervum *ilio hypogaſtricum*, quam *ilio - inguinalem*, pro unico nervo habet, et ejus originem ſecundo pari nervorum lumbalium imponit. WINSLOVIUS eſt, qui omnium primus hunc nervum ad naturam depinxit, et quidem ſub titulo *rami anterioris interni primi paris*; â SABATIERO autem nervus noſter *la ſeconde branche de la premiere Paire lombaire*; *ab* HAASIO, qui illum continuo ſequitur, *quatuor ramorum primi paris ſecundus*; â MARTINO, præeunte præceptore ſuo ANTONIO PETIT, *Nervus inguinalis externus*, â cel. WALTERO denique (Tab. I. fig. I. 85.) in deſcriptione tabulari *ramulus cutaneus nuncupatur.* Atque, ne recentiorem ex auctoribus ommittam, â cl. FISCHERO nervus noſter habetur pro *tertio paris primi lumbalis ramo*, quippe qui in cute pubis et annuli abdominalis terminatur. Siſtitur iſte nervus â cl. auctore in Tab. II. III. IV., et ni fallor, ſub 26., etſi ubique in explicatione tabulari *ramus nervi lumbalis ſecundi* audiat. —

Diſquiſitio mea.

Juxta meas obſervationes origo et decurſus hujus nervi ſe habet ſequenti modo. Profilit ex permixtis filamentis primi paris infra nervum ilio - hypogaſtricum, ut modo diximus; minor illo, et ſubinde etiam in ſua origine cum illo conjunctus, egreditur inter marginem anteriorem et exteriorem muſculi Pſoæ

mag-

magni (113) et marginem interiorem musculi quadrati lumborum retro peritonæum ita, ut illi musculo oblique incumbat (114), poſtea modo altius (115) modo profundius (116) in ramum externum et internum partitur. *Externus* in decurſu ſuo ad labium internum criſtæ oſſis ilium (117) tendit, et muſculum obliquum tranſverſum abdominis perforando, in decurſu inter hunc et muſculum obliquum minorem abdominis quosdam ſurculos ad hunc ultimum ablegat (118); quo facto infra ſpinam ſuperiorem anteriorem perfodit musculum obliquum minorem; peracta dein ope parvorum filamentorum (119) cum ramo interno communicatione, in externa facie muſculi obliqui minoris ramum internum (120) ſuperſcandit, et ſuper illum ſub expanſione aponeuratica muſculi obliqui majoris longius decurrit, priusquam in plures nimirum ſurculos (Tab. III. 30. 31, 32.) dividitur, quorum ſuperiores ſurſum circa lineam albam, inferiores autem in carnoſis illis muſculi obliqui minoris propaginibus (121), muſculum cremaſterem conſtituentibus, conſumuntur. *Ramus internus* ab externo discedens, et marginem externum foſſæ iliacæ attingens, extrorſum muſculo iliaco interno (122) retro peritonæum incumbit. Antequam autem ex foſſa iliaco egreditur, in duo filamenta abit, brevius alterum (123), alterum longius (124). Filamentum brevius cum ramo externo (125) conjungitur; longius autem perforat muſculum transverſum

 et

(113) Tab. III. 24.
(114) Ibi. C.
(115) Tab. II. 27.
(116) Tab. III. 25. 26.
(117) Tab. II. 28.
(118) Tab. III. 27. 27.
(119) Ibi. 29.
(120) Ibi. F. 26.
(121) Ibi. d. d. d. d.
(122) Tab. II. 27. H. H. et III. 25. G. G. G.
(123) Tab. III. 29.
(124) Ibi. 28.
(125) Ibi. 26.

et obliquum minorem paulo infra ſpinam ſuperiorem anteriorem oſſis ilium, atque in hoc itinere filamentum quoddam (126) ad hunc ultimum muſculum demittit, infra ramum deinde externum in facie exteriori musculi obliqui minoris, aponeurotica expanſione musculi obliqui majoris (127) obtecta, transverſim introrſum ad annulum verſus abdominalem pergit, et tandem per ipſam fiſſuram (128) penetrando attingit membranam adipoſam, in viris musculum cremaſterem, in fæminis labium majus pudendorum obducentem, ibique pluribus ſurculis tum in adipe regionis pubis (129), tum in membrana adipoſa, glandulas inguinales et internam femoris partem obveſtiente (130), his vero ſurculis ſitum mollem mobilemque præbente, tandem terminatur. Longius horum filamentorum (131) in membrana adipoſa ſuper muſculum cremaſterem cum alio ſurculo (132) â nervo *lumbo inguinali* enato quamdam init anaſtomoſin. Hic itaque nervus, uti ex præmiſſa deſcriptione patet, ratione ſui decurſus et uſus, nomine *nervi ilio - inguinalis* rectius, quam variis illis vagiſque hucusque uſitatis circumſcriptionibus, inſignitur. Si forte aliquis meam hujus nervi expoſitionem cum iis, quas alii ſupra memorati anatomici tradiderunt, deſcriptionibus comparare velit, diſcrimen facile inveniet. Jam ſupra innui, WINSLOVIUM inter omnes, qui illum ſecuti ſunt, anatomicos accuratiſſimam hujus nervi explanationem dediſſe: id quod etiam ex inſtituta comparatione elucet, tunc præſertim cum varietatem quamdam mox deſcribendam conſideremus, qua nimirum duce WINSLOVIUS in deſcribendo hoc nervo probabiliter utebatur. At ſi idem ille anatomicus cum VIEUSSENIO repetit, hunc nervum in viris ad funiculum ſpermaticum, in fœminis ad ligamenta uteri rotunda ſurculos ablegare, id jux-

(126) Tab. III.
(127) Ibi. U. U.
(128) Ibi. L. L.
(129) Ibi P. P.
(130) Ibi Q. Q.
(131) Ibi 35.
(132) Ibi 47.

juxta meas obſervationes æque falſum eſt, ac SABATIERI decretum, nervum utpote hunc in parte anteriori et externa femoris conſumi.

§. XXIII.

Varietates quædam circa nervum ilio - hypogaſtricum et ilio - inguinalem.

Etſi autem natura plerumque et *nervum ilio - hypogaſtricum*, et *nervum ilio - inguinalem*, modo deſcripto progeneret, non eandem tamen perpetuam in omnibus corporibus legem obſervat. Vix non ſemper inter tria aut quatuor corpora unum reperi, in quo ſequentem naturæ luſum obſervare licuit. *Nervus* ſcilicet *ilio - hypogaſtricus* ab ultimo pari nervorum dorſalium enatus oblique verſus musculum quadratum lumborum tendit, et musculos abdominis ſenſim duobus perforat ramis, quorum externus membranæ adipoſæ musculorum glutæorum verſus ilium proſpicit, internus autem circa os ilium volvitur, et verſus ſuperiora altius, quam alias ſolet, in musculis abdominalibus evanescit. Tunc autem *nervus ilio - inguinalis* ſolus duntaxat ex primo pari, ramo tamen fortiori (133), enascitur, propius, quam alias, ad labium internum oſſis ilium accedit, et in *tres* ramos diſpertitur. *Externus* ad membranam adipoſam partis anterioris exteriorisque femoris ſurculos ablegat; *medius* eo modo, quo alias ramus externus decurrit (134), et cum *interno* deinde iterum conjungitur. Tertius denique ſubinde, etſi rarior, caſus obtinet: *Nervus* nimirum *ilio - hypogaſtricus* ex ultimo pari nervorum dorſalium proſiliens magis verſus regionem epigaſtricam descendit, *Nervus* contrà *ilio - inguinalis* ex primo pari nervorum lumbalium tenui origine enascitur, neque more alias conſueto in duos ramos finditur. Atque in hoc caſu WINSLOVII doctrina confirmatur, id eſt: uti plerumque à ramo interno ner-

(133) Tab. I. fig. V. e. e.
(134) Tab. III. 26.

nervi ilio-inguinalis parvum quoddam filamentum ad ſurculum externum abit, utrumque ramum *nervi ilio-inguinalis* conjungens, ita hic unicus atque tenuis ramus *nervi ilio-inguinalis* ſurculum communicantem ad ramum nervi ilio-hypogaſtrici inferius tendentem ablegat, et tali modo utrique nervi, in origine plane disjuncti, nunc primum conjunguntur.

§. XXIV.

III. Nervus ſpermaticus externus.

Hiſtoria hujus nervi.

Tertius nervus lateralis ſ. *ſecundarius*, qui partim adhuc â primo pari nervorum lumbalium oritur, is nervus (*) eſt, quem cel. WALTERUS *nervum ſpermaticum externum* vocat. — EUSTACHIUS hunc quidem nervum delineavit, de eo tamen haud commentatus eſt. — BERRETINUS hunc ramum in Tab. III. exhibet, de quo PETRIOLUS ait: *Per Pſoas musculorum dorſum primi lumborum rami diriguntur ad ſeminalia.* — Apud VIEUSSENIUM innominatus nervus habetur, â ſecundo nimirum pari lumbalium, plerumque unica, ſubinde autem tribus radicibus natus, et vaſis ſpermaticis, et glandulis inquinalibus dicatus (135). Neque apud WINSLOVIUM, neque apud SABATIERUM et HAASIUM hicce nervus peculiare obtinuit nomen. — Oritur juxta WINSLOVII deſcriptionem ex anſa communicationis primi paris, duobus tenuibus, intime ſibi conjunctis ſurculis, retro musculum Pſoam brevi tractu incedens, unam deinde inſertionum tendinearum musculi parvi diaphragmatici, ad tertiam vertebram lumborum, ſuperſcandit, et cum nervo ſympathico magno anaſtomoſin init. Ambo hi rami conjunctim usque ad ligamentum Fallopii procedunt, quo in loco dehiscunt. Horum ſurculorum unus vaſa ſeminalia ad teſti-

(*) Tab. I. fig. I c. II c. III c. IV c. V c. Tab. II. 36. 36. 36. Tab. III. 36. 36. 36.
(135) L. c. L. b III. Cap. VIII. p. 444. Tab. XXVIII. 23. 23.

testiculum usque prosequitur, alter sub arcu ligamentoso ad cutem, glandulasque inguinales (136) pergit. — Nuncupatur iste nervus â SABATIERO *la premiere des trois branches anterieures de la premiere paire lombaire*; interim ea, quam nobis dedit expositionem, WINSLOVIANA descriptione modo plus, modo minus exacta est. Nam expositio, quam cel. SABATIERUS tradit, ab illa WINSLOVII sequentibus potissimum differt: I.) SABATIERUS de duobus illis tenuibus ramulis, ex quibus juxta WINSLOVIUM hicce nervus mox in suo ortu constat, haud agit. II.) Anastomoseos, juxta WINSLOVIUM inter hunc nervum et nervum sympathicum magnum intercedentis, nullam mentionem facit. III.) Statuit, insertionem surculi interni hujus nervi in testiculum, in scrotum, in regionem ossis sacri, et lateris interioris superiorisque femoris fieri. IV.) Statuit denique, surculum externum in cutem equidem, non autem in glandulas inguinales inseri, præcipue autem quosdam surculos cum trunco nervi cruralis anterioris conjungi (137). — Hisce decretis SABATIERI cl. HAASIUS adstipulatur (138). — Cl. MARTINUS autem huic nervo, præeunte PETIT, nomen *nervi inguinalis interni* imponit; attamen, ut ê descriptione diffusiori apparet, eundem nervum cum *nervo inguinali* COOPMANNSII et CAMPERI, postea sub designatione *nervi lumbo-inguinalis* describendo, confundit. Et quidem cel. MARTINUM *nervum spermaticum externum* sub nomine nervi inguinalis interni descripsisse, concludo ex iis, quæ sequuntur: I.) Hujus nervi originem, ut et omnes reliqui anatomici, â primo pari derivat. cl. auctor. II.) Illius decursum per et supra musculum Psoam ad annulum abdominalem exponit. III.) Effatus est, surculum quemdam in viris ad funiculum spermaticum, in fæminis ad ovaria et ligamenta uteri rotunda ab illo demitti. At vero MARTINUM hunc nervum etiam cum *nervo inguinali* COOPMANNSII et CAMPERI confundisse, ratiocinor ex sequentibus: I.) Hunc nervum nomine nervi *inguinalis* insignit; II.) ad partes externas pudendorum ablegat; III.) tribuit tandem huic nervo anastomosin cum nervo inguinali exter-

ter-

(136) L. c. p. 298. §. §. 275. 276.
(137) L. c. des nerfs lombaires. p. 727. 728.
(138) L. c. Cap. IV. §. 200. p. 103. 104.

terno, etsi, ut saltem ex nostris observatis colligi potest, is nervus *inguinalis* CAMPERI, vel noster *lumbo-inguinalis* (minime autem *nervus spermaticus externus*) ejusmodi anastomosin cum *nervo ilio-inguinali* ineat. — Cl. WALTERUS originem nostri nervi ansæ communicationis primi paris imponit, et illius decursum (Tab. I. fig. I. 86. 87.), et anastomosin, ea, qua se in fœminis habent, ratione exhibet, surculis nempe supra uterum in ligamenta uteri rotunda, et in adipem montis veneris insertis. — Cel. SOEMMERRING (l. c. §. 295.) non obscure innuit, se nervum spermaticum externum, et inguinalem pro uno eodemque nervo habere, et hinc ad junioris COOPMANNSII neurologiam provocat. — Etsi denique nervus noster in iconibus nervorum lumbalium, quas FISCHERUS edidit, haud exponatur, de eo tamen, tanquam ramo primo primi paris lumbalium, ibidem diductius agitur. Sed nec ubique, quod hujus nervi originem et decursum spectat, sententiis cl. auctoris adstipulari potero. — Utinam quasdam de horum nervorum origine, decursu, et terminatione lites meis disquisitionibus et observatis componere mihi liceret! —

Disquisitio mea.

Nervus spermaticus externus perpetua naturæ lege duplici semper radice, id est, prima sua radice (139) ex primo pari, altera (140) ex commixtis sub ganglio secundi paris filamentis enascitur. Etsi admodum tenuis (141) sit, continuo tamen ex his binis radicibus hunc nervum constare vidi sic, ut non intelligam, quomodo sagaces cæteroquin anatomici hujus nervi originem unanimi consensu â primo pari deducere potuerint, nisi forte per hoc seduci se passi sunt, quod prima radix subinde ab ansa communicationis primi paris per breve admodum spatium discedat (142), et ad societatem cum secundo

(139) Tab. V. fig. I c. h. II c. h. III c. h. IV c. h. V c. h.
(140) Ibi. fig. I. c. d. II c. d. III c. d. IV c. d. V c. d.
(141) Ibi. fig. I c.
(142) Tab. III. 41. 35.

cundo pari ineundam mox iterum accedat; quo in casu tunc prima radix cum altera secundi paris conjungitur, et conflatus tali modo nervus supra musculum Psoam egreditur. Quotiescumque igitur res se ita habet, toties incisor facile decipitur. — Verum vero alter etiam in ipsa nervi dissectione error, quem propria experientia nosco, locum habere potest. Si iste nimirum nervus compositus in suo decursu hamulo arripitur, ut ad originem usque dissolvatur, secunda radix, utpote tenerior, â secundo pari abrumpitur, prima, crassiori, in primo pari superstite. Quicunque autem patiente et cauta manu nervos lumbales, peracta leni quadam maceratione, accurate disquirit, duplicem, quem statuimus, originem reperiet. — Quamprimum hic nervus modo nunc descripto ex duabus radicibus coaluit, propius continuo ad latera corporum vertebrarum lumbalium accedens, in musculum Psoam magnum penetrans, et in illo cum nervo lumbo-inguinali conjunctus (143) modo breviori, modo longiori via decurrit, continuo ab inferioribus ad superiora altius ascendens insertionem quandam musculi Psoæ in superiori aut inferiori fine tertiæ vertebræ lumborum perfodit (144), et tandem ipsius musculi Psoæ magni margini interiori adjacet. Si musculus Psoas parvus adest, is etiam perforatur, et eo altius huic musculo nervus incumbit, ita quidem, ut in parva â nervo sympathico magno (145) distantia, nervos ad sympathicum magnum accessorios (146) secundum longitudinem transgrediatur. Itaque WINSLOVII doctrinam, circa anastomosin inter hunc nervum & nervum sympathicum magnum, nunc intelligo; atque hoc ipsum WINSLOVII decretum maximo mihi argumento est, magnum hunc incisorem vestigia hujus nervi prosecutum fuisse; ego enim ipse in initio disquisitionum anatomicarum vix non in hunc errorem incidi. Nam in eo loco, ubi nervus super illas albescentes aponeuroticas insertiones musculi parvi diaphragmatis incedit, quemdam inter stamina dis-
cessum

(143) Tab. III. 41. 35.
(144) Ibi. α. 36.
(145) Tab. II. 1 β.
(146) Ibi. 13. 14. 15. 16. 17. 18.

cessum arcum referentem, qualis pluribus in locis occurrit, inveni (147). Ab hoc in formam arcus inflexo ramulo stamen quoddam ad nervum sympathicum magnum accedere, et huic se inserere videbatur. Sed curatiori indagine convincebar, hunc surculum esse vas lymphaticum, surculo nerveo in formam arcus curvato incumbens, quod nervum ad usque sympathicum magnum nudis oculis conspici poterat. Cum ejusmodi vasa in aliis corporis partibus ab anatomicis etiam nostri ævi pro surculis nerveis habita, descripta et delineata sunt, talem prisci temporis errorem viro de re anatomica optime merenti, WINSLOVIO, nemo imputabit. — Quotiescunque autem *nervus spermaticus externus* tali modo bipartitur, toties iterum mox ambo surculi ad opinatam arcus speciem constituendam concurrunt. Incedit dein nervus retro peritonæum prope latus internum musculi Psoæ magni, aut parvi (hoc præsente,) una cum nervo lumbo-inguinali (148), si ille justa sua magnitudine apparet, conjunctus, donec non longe ab arcu Poupartii ligamentoso ad vasa iliaca externa pervenit (149), quo in loco in duos ramos (150) dispertitur. — Primus, isque *internus*, ramulus (151) vasa iliaca externa superscandens, sub duabus aut tribus glandulis lymphaticis; in superficie interna rami horizontalis ossis pubis positis, oblique introrsum ad annulum inguinalem versus (152) decurrit, atque ibi (153) funiculum spermaticum ex annulo egredientem attingit; nunc autem funiculo spermatico ipsi in parte posteriori laxe alligatus hicce ramus ad tunicam usque vaginalem testium progreditur, ubi à funiculo spermatico iterum deflectit, et, vagina funiculi spermatici penetrata, in duos vel tres surculos in postica et exteriori facie

(147) Tab. III. a.
(148) Ibi. 43. 43.
(149) Ibi. R. et Tab II R.
(150) Ibi. 37. 40. Tab. II. 37. 38.
(151) Ibi. 37. 37. et Tab. II. 37.
(152) Tab. II. 37.
(153) Tab. III. 37. I.

facie tunicæ vaginalis teſtium partitur. Horum unus (154) in musculo cremaſtere evanescit; alter autem (*) cum nervo pudendo inferiori ſuper perinæum decurrente anaſtomoſin celebrat. — CAMPERUS equidem hanc anaſtomoſin nervo inguinali tribuit; at nervus ſuus inguinalis alio prorſus modo decurrit, et anaſtomoſis, ſi qua adeſt, nunquam ope nervi inguinalis CAMPERI locum habet, atque hinc cel. SABATIERUS terminationem noſtri nervi ſpermatici externi in regione oſſis ſacri haud absque omni ratione poſuit. In primis meis disquiſitionibus anatomicis in tunica vaginali tenuiſſimum rete nerveum, delineatione dignum, primo intuitu obſervavi; at mature adhuc rei fallaciam perſpexi: erant nempe candida vaſa lymphatica, quæ, prægreſſa maceratione præparati anatomici, una cum telæ celluloſæ fibris, tunicam vaginalem tanquam proceſſus peritonæi conſtituentibus, hoc rete effingebant. Cum autem poſtea quædam cadavera absque prævia maceratione cultro anatomico ſubjicerem, rei verum detexi. — Alter, *externus* (155) nempe ramus, in duos iterum ſurculos dividitur (156), qui ſtatim, facto diſceſſu, ſuper peritonæum ascendunt, musculum transverſum abdominis perforant, et in obliquo minori musculo in duobus diverſis locis (157) ſociantur ſic, ut inter illos inſula quædam (158) formetur, quo facto nervus lumbo-inguinalis jam exponendus majus robur adquirit.

§. XXV.

IV. Nervus lumbo-inguinalis.

Hiſtoria hujus nervi.

Peculiari nervo, âb antiquis vix non omnibus, VIEUSSENIUM ſi excipias, pro nervo ſpermatico externo habito ego nomen *nervi lumbo-inguinalis* ſimpo-

(154) Tab. III. 38. d. N.
(*) Ibi. 39.
(155) Tab. II. 38. & Tab. III. 40.
(156) Ibi. 39. 40. Ibi 41. 42.
(157) Tab. III. 41. 42.
(158) Tab. III. e. e. e.

impono (159). Apud VIEUSSENIUM hic nervus audit truncus ſecundi paris nervorum lumbalium (160), et partim illius, partim nervi ſpermatici externi origo â ſecundo pari (quod noſtro ævo probabilius primum par nervorum lumbalium eſt) repetitur, et ſurculum ad involucra teſtis demittere traditur. Itaque inter veteres anatomicos unico VIEUSSENIO hunc nervum cognitum fuiſſe, facile colligitur, licet, quæ originem et decurſum noſtri nervi ſpermatici attinent, non ſat exacte adnotaverit. WINSLOVIUS hunc nervum nullo inſignit termino technico, verum ratione decurſus de iſto nervo commentatur eo fere modo, quo commentatus eſt de origine nervi ſpermatici externi; docet enim, duobus filamentis tenuibus â primo et ſecundo pari hunc nervum oriri, muſculum Pſoam in ſuperiori parte perforare, et trans eum per annulum inguinalem gradi ad glandulas inguinales, et in adipem regionis pubis, et ad ſcrotum in viris, et ad labia pudendorum in fœminis (161). — ALEX: MONRO, qui univerſim neurologiam forma tantum tabulari comprehendit, de nullo nervo ſecundario lumbalium, nervo crurali anteriori et obturatorio tanquam truncis principibus exceptis, ſingulatim agit. Verum COOPMANNSIUS MONROI interpres hunc nervum in annotatione quadam ita deſcribit: „ nervus ſingularis ex lumbalibus ſecundo et tertio ortus juxta tendinem Pſoæ minoris decurrens ligamentum Poupartii ſubit, inguini ramos dat, et glandulis ejus, atque inſignem ramum cremaſteri muſculo. EUSTACHIUS Tab. 19. Lit. φ. α. Tab. 21. ramos inguinis et cremaſteris H. I. depinxit (162).“ Atque his quidem notis (ortum et finem in glandulas inguinales ſi excipias) generatim nervus noſter lumbo - inguinalis inſignitur; cum tamen COOPMANNSIUS mox EUSTACHIUM citat, et nec verbulo nervi ſpermatici externi meminit, admodum probabile mihi videtur, illum, uti EUSTACHIUM nervum tantum ſperma-

(159) Tab. I. fig. I. ii. II i. III i. IV i. V i. Tab. II. 41. 41. 41. Tab. III. 43. 43. 43.

(160) L. c. Tab. XXVIII. 27. 28. 30. 31. 32.

(161) L. c. Tr. d. neu. §. 279. p. 199.

(162) *Cel. anat. ALEX. MONRO nervor. anatome contracta lat. reddita. Franequeræ* 1754. *pag.* 64.

maticum externum adnotare voluisse, neque ramum illum ad tunicam vaginalem testis emissum pro peculiari nervo habere. — Interim fateri oportet, et hunc nervum & nervum spermaticum externum facile pro uno eodemque nervo haberi posse; quamvis enim nervus lumbo-inguinalis naturalem suam crassitiem habeat, secunda tamen radix nervi spermatici externi cum radice nervi lumbo-inguinalis plerumque arcte cohæret, sic, ut uterque nervus non raro conjunctim eadem via pergat. Atque hinc WINSLOVIUS seductus duplicem hujus nervi originem admittit. CAMPERUS certe accuratius hunc nervum perscrutatus fuisset, nisi COOPMANNSIO nimium fidisset; immo videtur, illum & nervum spermaticum externum, & nervum lumbo-inguinalem, utpote in decursu conjunctos, pro uno eodemque nervo habuisse. Delineatus enim (Tabula I. fig. II. 27. 28.) nervus Psoæ incumbens adeo crassus apparet, ut pro unico nervo illum minime habere possem. CAMPERUM autem COOPMANNSIO non omnino fidisse, neque tamen ipsum hunc nervum curatiori examini subjecisse, ex generaliori, quæ sequitur, descriptione colligo: „*Lumbales*" ait „ *etiam exilem ramum ad inguen et cremasteres musculos demittunt.*" Hacce descriptione generaliori occasionem, de origine nervi aliquid certi proferendi, effugit CAMPERUS, licet distributionem hujus nervi, uti COOPMANNSIUS more EUSTACHII, quoque exponat; addendo autem: " cl. COOPMANNSIUS *hujus nervi exactam dedit descriptionem*;" nihilominus doctrinam COOPMANNSII transilit, statuens, surculum ad musculum cremasterem ablegatum cum surculo nervi pudendi inferioris copulam subire, atque ex hac anastomosi consensum inter urethram et testiculos explicari posse. — Hoc autem connubium non ope nervi lumbo-inguinalis, sed mediante nervo spermatico externo fieri, supra demonstravi. Interim CAMPERUS omnium primus hunc nervum proprio latino nomine *nervi inguinalis* insignivit (163). — Cel. SABATIERUS tradit, nervum nostrum, nullo indito nomine, ê secundo pari, incerta tamen ex regione, oriri, versus annulum abdominalem descendere, et in duos surculos discedere, quorum unus ab imo sursum versus in superficie externa musculorum abdominalium pervenit, alter autem decursum vasorum sper-

mati-

---

(163) L. c. Lib. II. cap. III.

maticorum sequitur, et in cute scroti terminatur (164). Cl. HAASIUS hanc eandem de origine et decursu hujus nervi doctrinam amplectitur; imo affirmat, *hunc nervum juxta chordam spermaticam per annulum ad scrotum descendere* (165); in annotatione quadam insuper addit, se hac descriptione *nervum iuguinalem* CAMPERI intelligere; quid! quod duce WINSLOVIO statuit, nervum hunc â ramo primi paris adaugeri. — Cel. MARTINUS (§. XXIV.), exponendo nervum spermaticum externum, hunc eundem nervum ex parte cum *nervo inguinali* CAMPERI, seu nostro *lumbo-inguinali* confundit; nihilominus tamen, nervum inguinalem CAMPERI sigillatim describendo (166) verbotenus ferme WINSLOVIUM sequitur. — Dantur in tabula cel. WALTERI quinque abscissi rami ê secundo pari provenientes, quos ramos musculares esse asserit cel. auctor (167). — Peculiarem quoque nervum, utpote in cutem regionis inguinalis, imo etiam in cutem scroti et in musculum cremasterem surculos suos emittentem exponit SOEMMERRINGIUS (Lib. cit. §. 296.). Cum insuper hujus nervi cum ramo nervi pudendi inferioris anastomosin demonstraturus, CAMPERI auctoritate nitatur, nullum dubium nobis inest, cel. virum COOPMANNSII senioris et CAMPERI nervum inguinalem subintelligere. — Superest, ut recentioris ex auctoribus cl. FISCHERI de hoc nervo sententias in medium proferam. „Alius" ait cl. auctor, „ramus paris lumbalis secundi, „ cujus originem Tab. I. fig. 2, 109. monstrat, musculis abdominalibus surcu„ los nonnullos largitur, quibus emissis juxta chordam spermaticam annulum „ transit, et circa arteriam cruralem COOPMANNSIO (juniori ?) teste, ansa fac„ ta, ad inguen et scrotum descendit. Cel. CAMPERUS inguinalem nervum „ vocat, et juxta Psoæ minoris tendinem migrantem depinxit. Ex nostra „ qualicunque sententia eam ob causam minus recte hoc nomine insignitur,

quo-

---

(164) L. c. De la neurologie.

(165) L. c. Cap. IV. §. 201. p. 104.

(166) L. c. §. 195. p. 230. *Observari debet quadam conjunctio inter primum et secundum (par lumbalium,) unde ad inguina rami feruntur præter ante memoratos, & in modum eorum distribuuntur.*

(167) L. c. Tab. I. fig. I. 105. 106. 107. 108. 109.

„ quoniam maxima ex parte in pudendis utriusque ſexus et femoris anteriori „ cutanea parte conſumitur. Perforato enim ligamento POUPARTII ramum „ exteriora verſus ad glandulam inguinalem mittit, cujus ramulus in adipe ter- „ minatur. Alter ramus aliam glandulam intrat. Alius ramus ad anteriorem „ femoris partem descendit, et partim anaſtomoſin init cum nervo cutaneo „ anteriore, partim in adipe ceſſat. Ultimus ejus ramus in tres abit ſurculos.“ De tertio ſurculorum docet cl. auctor, eum eſſe referendum inter pudendos nervos externos, duobus filamentis ad ſcrotum et labia externa in fœminis migrare, et in musculo cremaſtere, ubi cum ramis nervi pudendi inferioris conjungitur, et in cute, et in adipe harum partium multis fibrillis diſtribui — Ex fida, quam hucusque expoſui, decretorum recenſione patet, minus abſolutam adhuc hujus nervi doctrinam haberi; ut itaque haud ſuperfluum eſſe exiſtimem, ſi meas repetitis disquiſitionibus innixas obſervationes enarrem, & quid natura perpetua aut inſtabili lege obſervet, referam. —

Disquiſitio mea.

Hic *nervus* (168) conſtanti exiſtit lege, et quamvis â ſecundo pari nervorum lumbalium continuo oriatur, tamen haud in eodem ſemper hujus paris loco enascitur. *In ſex* cadaveribus *quater* ſub ganglio (169) ê permixtis filamentis radicum anteriorum, *bis* autem ex ipſa anſa communicationis (170) originem ducere vidi. Sed et quoad numerum radicum et robur origo hujus nervi variat: modo unica tantum radice (171), modo duabus (172) orditur. Hoc in caſu craſſior evadit, et â nervo ſpermatico externo facile discernitur, facilius quippe ab illo ſeparabilis (173). In priori autem caſu difficilius â ſpermatico nervo diſtingui poteſt, cum ambo hi nervi tam in origi-

ne,

(168) Tab. I. fig. I. i. II i. III i. IV i. V i. Tab. II. 41. — Tab. III. 43.
(169) Ibi. fig. II. IV. V. Tab. II. 32.
(170) Ibi. fig. I. III.
(171) Ibi. fig. II i. IV i. V.
(172) Ibi. fig. I i. i. III i. i.
(173) Tab. II. 41.

ne, quam in decurſu intime cohæreant, et non niſi arduo labore â ſe invicem ſeparari queant. Emergit haud ex eadem ſemper muſculi Pſoæ regione; ſæpe cum nervo ſpermatico externo conjunctus (174) in regione intermediæ cartilaginis tertiæ quartæve vertebræ lumborum musculum Pſoam penetrat (175); ſubinde autem, præſertim nervo ſpermatico externo citius altiusque ſurſum verſus in regione ſecundæ et tertiæ vertebræ lumborum proveniente, nervus noſter in regione quartæ vertebræ lumborum ſuper musculo Pſoa apparet. In ulteriori trans muſculum Pſoam decurſu ambo hi nervi juxta ſe invicem poſiti ſunt, nervus utpote ſpermaticus introrſum (176), extrorſum nervus lumbo- inguinalis (177); rarius â ſe invicem diſtant. — Quodſi vero nervus *lumbo-inguinalis* duabus craſſis radicibus, ut in noſtro ſpecimine, enascitur; perpetuo in duos abit ramos (178), priusquam nervus nimirum ſpermaticus externus partitur. *Ramus externus*, iſque *tenerior* (179), oblique ſuper truncum nervi cruralis anterioris, nervo cutaneo externo fere ex adverſo, decurrens ſupra arcum *Poupartii* ligamentoſum ſub peritonæo aſcendit, muſculum tranſverſum et obliquum minorem abdominis perforat, et quamprimum hunc ultimum muſculum attingit, duos ſurculos nervi ſpermatici externi (180) ad anaſtomoſin conſtituendam acquirit. Atque ita adauctus externus hic nervi lumbo-inguinalis ramus ſub ramo ejusdem nervi interno (181) per fiſſuram tendineam musculi obliqui majoris (182) in membranam adipoſam partis ſuperioris internæ femoris, ſcroti et regionis pubis pergit, atque ibi cum ramo interno nervi ilio-inguinalis anaſtomoſin (183), quamdam

inſu-

(174) Tab. III. 43. 36.
(175) Ibi. H.
(176) Ibi. 36.
(177) Ibi 43.
(178) Tab. II. 42. 43. Tab. III. 44. 45.
(179) Ibi. 43.
(180) Tab. III. e. e. 41. 42.
(181) Ibi. 28. 28.
(182) Ibi 45. L. L.
(183) Ibi 35.

insulam (184) efformantem, init; aliqui insuper seorsim emissi surculi tam in adipe regionis pubis (185), quam in membrana adiposa, glandulas inguinales atque crurales (186) investiente, terminantur. Nunquam, accuratissima etiam perscrutatione, surculum quemdam nerveum in ima glandulæ substantia consumi, potius semper infra glandulam per nectentem telam cellulosam in membranam adiposam, quo tendunt, cursum dirigere observare licuit. Dum igitur hac observatione illis anatomicis, qui hujus nervi in glandulis inguinalibus terminationem docent, utique refragor, ex altera parte WALTERI, CRUIKSHANKII, et MASCAGNII contra HEWSONIUM sententias confirmo: nunquam scilicet surculos nerveos in substantiam glandularem inseri. Id adhuc addere oportet, surculum hunc nervi lumbo-inguinalis eodem, ac surculum nervi ilio-inguinalis, in membrana adiposa mobili mollique situ gaudere, ita ut ambo surculi insulam antea memoratam (Tab. III. b. b. 47. 47.) constituentes, pro vario cutis situ, modo in scroto, modo in regione pubis mobiles positi sint. Decursu itaque *rami externi* atque *tenuioris* nervi lumbo-inguinalis hucusque explanato, descriptionem secundi rami adgredimur. Hicce ramus interior atque fortior (187) profundius descendit, & introrsum versus in duos abit surculos (188), qui sub arcu *Poupartii* ligamentoso introrsum arteriam cruralem petentes, in adipem arteriæ superstratum ita inseruntur, ut arteriam quasi amplectantur (189). Ablegatis hisce surculis ramus interior (190) extrorsum decurrit, & sub arcu ligamentoso in inguinis curvatura juxta surculum internum nervi cutanei externi inter duas laminas fasciæ latæ (191) egreditur, extrorsum deinde ramum nervi cutanei externi (192) transilit, & pluribus surculis in superiori et anteriori femoris parte evanescit.

§. XXVI.

---

(184) Tab. III. b. b. 47. 47.
(175) Ibi. 46. 48. 49. D.
(186) Ibi. O. Q.
(187) Tab. II. 42. Tab. III. 44.
(188) Tab. II. 44. Tab. III. 50. 50.
(189) Tab. II. R. M. 44. 44.
(190) Tab. II. 45. Tab. III. 51. 51.
(191) Tab III. 51. S. R.
(192) Tab. III. 55.

§. XXVI.

Varietates quædam circa nervum ſpermaticum externum et lumbo - inguinalem.

Etſi autem nervus lumbo - inguinalis, ut (§. XXV.) dictum fuit, nunquam deſit, haud tamen perpetuo eundem, quem hucusque deſcripſimus, decurſum obſervat. Id interim certum eſt, hunc nervum inter et nervum ſpermaticum externum intimum ſemper pactum intercedere. Si quis igitur varietates nervi lumbo - inguinalis altius velit perſpicere, nervum ſpermaticum externum ſemper acri et intento animo intueri oportet, nam hoc duntaxat modo mutua utriusque nervi ratio accurate perſpicitur. — Nervus lumbo - inguinalis, ſi ſimplicem originem habet, alium ſemper decurſum obſervat. In hoc caſu enim mox in origine, et in decurſu ſuper musculum Pſoam cum nervo ſpermatico externo conjungitur. Imo poſtquam nervus ſpermaticus externus in duos ramulos partitus eſt, cum ramo hujus nervi externo conjunctus permanet, musculum transverſum et obliquum minorem abdominis perforat, atque tunc more conſueto per fiſſuram tendineam musculi obliqui majoris proveniens, et ſeſe conjungens cum ſurculo interno nervi lumbo - inguinalis, illam antea memoratam inſulam conſtituit. Etſi vero quandoque ramus externus nervi ſpermatici, quod tamen raro contingit, hunc nervum deſerat, ſub arcu *Poupartii* ligamentoſo tamen exit, et in adipe arteriæ cruralis evaneſcit. Deficientes autem ſurculi, qui in caſu (§. XXV.) deſcripto inter duas laminas faſciæ latæ penetrant, et laminam quoque externam perforant, tunc partim ſurſum et extrorſum â nervo ilio - hypogaſtrico, partim in ſuperiori et anteriori parte â nervo aliquo cutaneo ſupplentur. Si itaque hasce nervi lumbo - inguinalis, quoad copulam ſuam et cum nervo ſpermatico externo, et cum ramo interno nervi ilio - inguinalis, varietates cum ſententiis anatomicorum ſupra adductis comparamus, clare patet, ſingulorum equidem doctrinam ratione non omni fuiſſe deſtitutam, etſi nullus rei veritatem ex omni parte perſpectam habuerit.

§. XXVII.

V. Nervus cutaneus externus.

Hiſtoria hujus nervi.

Ad ramum nunc ſecundarium progredimur, quem recentiores jam ab aliquo tempore nomine *nervi cutanei exterioris* inſignivêre. Sed brevis ero in exponenda hujus nervi hiſtoria. EUSTACHIUS decurſum nervi externi cutanei (193) diſtinƈte depinxit. An VESALIUS et BERRETINUS hunc nervum delineaverint, omni licet adhibita, in evolvendis et perluſtrandis illorum tabulis, ſolertia haud equidem adfirmare audeo. Sed longe fuſius hunc nervum VIEUSSENIUS (194) exprimit, duabus nimirum radicibus ê tertio pari enatum. WINSLOVIUS omnes ſuos anteceſſores in accurata etiam hujus nervi deſcriptione ſuperavit. Ejus originem reƈte â ſecundo pari deducit; at cum quibusdam prioris et ſui etiam ævi anatomicis deſcripſit ramulum quemdam inde abientem et cum trunco nervi cruralis anaſtomizantem, ut et poſuit hujus nervi propaginum fines in glandulis inguinalibus. Atque WINSLOVIUM, quod memoratam nervi hujus anaſtomoſin attinet, SABATIERUS, HAASIUS, MARTINUS, STYXIUS, SOEMMERRINGIUS, FISCHERUS, aliique ejus aſſeclæ ſecuti: hi enim omnes anaſtomizantem cum trunco nervi cruralis ramulum admittunt atque exponunt. Recepta igitur unanimi veterum et recentiorum anatomicorum conſenſu ramum nervi cutanei exterioris inter et nervum cruralem anteriorem anaſtomoſi, mirabar utique, VIEUSSENIUM hujus anaſtomoſeos haud mentionem feciſſe, ſed peculiarem nervum (195) ê tertio pari enatum et duobus fibrillis in truncum nervi cruralis ſeſe ingerentem deſcripſiſſe. — Etiamſi autem anatomici pene omnes ratione hujus anaſtamoſeos inter ſe conſentiant, in determinanda tamen *origine* nervi cutanei externi mire inter ſe diſſentiunt.

WINS-

(193) L. c. Tab. VII. fig. I. — Tab. VIII. fig. I. Edit *Lancis.* — Tab. XIX. φ. ψ. λ. p. 75. Edit. *Albin.*

(194) L. c. Tab. XVIII. 43. 56.

(195) L. c. 53. 57, 60. 61.

WINSLOVIUS et SABATIERUS unam eandemque â ſecundo pari originem exhibent. MARTINUS (196) vero originis hujus nervi non meminit. Cel. WALTERUS in ſecunda anſa communicationis duos exhibet ſurculos (197), quos *ramos musculares ad Pſoam majorem migrantes* vocat. Cl. STYX denique originem (ſimplex an duplex ſit, non determinat) tertio pari (198) imponit. Eandem quidem originem agnoscit GÜNTHERUS, at non modo opinatum âb nervo cutaneo externo ad cruralem anteriorem emiſſum ſurculum. ſed et duplicem ejus originem ſilentio omnino præterit (199). SOEMMERRINGIUS (L. c. §. 279. pag. 298.), duce STYXIO, hujus nervi â tertio pari obortum admittit. Horum denique virorum, quoad nervi cutanei exterioris â tertio pari originem, ſententiis nuperrime accedit cl. FISCHERUS. — An tam varius naturæ in producendo hoc nervo ſit luſus, uti ſecundum varias anatomicorum ſententias videtur eſſe. Omnem dedi operam, ut, quid verum ſit, â natura ipſa ediscerem. —

Disquiſitio mea.

Nervus cutaneus externus (200) nunquam non adeſt, et perpetua naturæ lege ſemper ex ſecunda anſa communicationis, ſæpius duabus (201) radicibus, interdum unica (202) tantum, nascitur. Sed haud in eadem ſemper regione anſæ communicationis reperitur; nam ſæpe altius (203), nonnunquam inferius prope illius anſæ cum tertia communicationem (204) provenit. Verum origo hujus nervi â lege quandoque duplici adhuc modo aberrat. *Tertius*

(196) L. c. §. 195. p. 320.
(197) L. c. Tab. I. fig. I. 114. 115.
(198) L. c. §. XXI. p. 26.
(199) Kurzer Entwurf einer Nervenlehre p. 149.
(200) Tab. I. fig. I k. II k. III k, IV k. V k. Tab. II. 46. 46. Tab. III. 53. 53.
(201) Tab. I. fig. I ll. II ll. III ll. IV ll. Tab. II. 49. 50. Tab. III. 61. 62.
(202) Tab. I. fig. V l.
(203) Tab. I. f. II. V.
(204) Ibi. fig. I. Tab. II. 49. 50.

tius nimirum caſus datur, cum nervus cutaneus externus ex tertia anſa communicationis (205) *primo intuitu* proſilit; *quartus* vero, cum hic nervus *omnino deeſſe videtur*. In utroque tamen caſu nervum cutaneum externum ex ſecunda anſa communicationis continuo oriri, ratum facio atque palam. Quodſi nimirum nervus noſter â tertio pari provenire videtur, radices ope telæ cellulofæ ſecundum longitudinem deorſum cum tertia duntaxat anſa communicationis cohærent, et ſoluto hoc, cauta manu, vinculo apparet, hasce origines é continuatis ſecundæ anſæ filamentis oriri. Aliquoties alteram radicem ex tertia anſa, alteram vero ex trunco nervi cruralis anterioris prodire obſervavi: eodem fere modo, quo EUSTACHIUS (206) hunc nervum exhibuit, eademque pene ratione, qua FISCHERUS cujusdam ramuli ad nervum cruralem anteriorem adaugendum acceſſorii mentionem facit; nihilominus et ſub his circumſtantiis, non modo primam, ſed et alteram radicem ad ſecundam usque anſam communicationis cultro proſequi mihi licuit. *Quartum* caſum deſcripturus, cum hic nimirum *nervus deeſſe* videtur, et tamen explicato plexu lumbali adeſt, luculenter demonſtrabo, varium hujus nervi quoad originem ſuam luſum varios tam veteres, quam recentiores inciſores in eum errorem induxiſſe, ut ipſam ſecundam nervi cutanei externi radicem pro ſupra dicto ramo, cum nervo crurali anaſtomizante, habuerint; nam hoc duntaxat modo unanimem illorum de hac anaſtomoſi doctrinam intelligere queo. Etenim fieri non poteſt, ut â formato jam nervo cutaneo externo inferius abiens ramulus (207) cum nervo demum crurali ſe conjungat: id quod dein uberius demonſtrabo. — Quodſi vero nervus noſter ſeu unica, ſeu binis radicibus oriatur, ſemper (quartum, mox deſcribendum caſum ſi excipias) in musculum magnum Pſoam modo altius, modo profundius penetrat. Si duplicem originem habet, ambo ſurculi, quorum ſuperior (208) plerumque tenuior eſt, fibras quasdam musculares Pſoæ extrorſum verſus amplectuntur, et in margine exteriori hujus

---

(205) Tab. I. fig. III. 3. D.

(206) L. c. Tab. VII. Edit. *Lanc.* et Tab. XIX. Ed. *Alb.*

(207) Tab. II. 48. 48. Tab. III. 54. 54.

(208) Tab. II. 49. Tab. III. 61.

jus musculi (209) ita prodeunt, ut ramulus tenuior ſupra musculum Pſoam (210), ramulus autem craſſior, qui ſubinde ſurculum ad ipſum musculum ablegat (211), ſub hoc musculo (212) egrediatur. Si autem unica radice ordit, craſſior eſt plerumque in origine, totus musculum ingreditur, et in ejus demum ſubſtantia in duos abit ramulos (213). Quamprimum ambo ramuli in margine exteriori musculi Pſoæ egreſſi ſunt, invicem conjunguntur (214), et conjuncti in cavitate oſſis ilium oblique ſuper musculum iliacum internum (215) verſus anteriorem & ſuperiorem ſpinam oſſis decurrunt. Poſtquam tali modo compoſitus nervus cutaneus externus foſſam iliacam plane deſerit, introrſum verſus parvum ſurculum emittit (215), qui ſub arcu *Poupartii* ligamentoſo hoc in ſpecimine cum nervo tantum cutaneo medio (217) ſe conjungit; at multo frequentius contra ſententias EUSTACHII, WINSLOVII, STYXII (218) omniumque pene anatomicorum, qui truncum nervi cruralis ab illo ſurculo adaugeri aſſerunt, tunc præcipue, cum paulo altius originem repetit, verſus nervum cruralem anteriorem oblique decurrit, non eo fine, ut cum illo ſe conjungat, ſed ut in adipe arteriam cruralem inveſtiente, quam ſecundum ejus longitudinem per longius ſpatium comitatur, evanescat. Noverat equidem WINSLOVIUS ſurculum hunc arteriæ cruralis ſocium, nihilominus alium quoque cum nervo crurali communicantem ramulum admittit. Sed hic ipſe introrſum migrans ſurculus ita ludit, ut ſubinde in uno latere omnino deſit, in altero autem compareat; ſi deeſt, aliis ſurculis, aut â nervo lumbo-inguinali,

---

(209) Tab. III. H.
(210) Tab. III. 61.
(211) Tab. II. F. d.
(212) Tab. III. H. 62.
(213) Tab. I. fig. V. d. d.
(214) Tab. II. 46. Tab. III. 53.
(215) Ibi. H. H. Ibi. G. G. G.
(216) Ibi. 48. 48. Ibi. 54.
(217) Tab. II. inter 55 et 57. Tab. III. 63. in *e*.
(218) L. c. §. XXI. — Ramulum anaſtomicum (Jc. N. 200.) ſupra musculum iliacum exhibet ad cruralem nervum adaugendum.

nali, aut â nervo hucusque acceſſorio WINSLOVII nominato transmiſſis, et arteriam comitantibus ſuppletur. — Princeps ramus dein, magis infra, quam ſupra, arcum ligamentoſum egrediens (220), inter duas laminas fasciæ latæ ita decurrit, ut internæ laminæ incumbens (221) ab externa (222) tegatur. Mox in ſuo per arcum ligamentoſum egreſſu in tres dehiscit ramos, in poſteriorem (223), in medium (225), et in anteriorem (225). Ramus *poſterior* in duos abit ſurculos (226), laminam externam fasciæ latæ penetrantes, et in membrana adipoſa ſupra musculos glutæos et tenſorem fasciæ latæ pluribus filamentis evanescentes. *Medius* ramus musculo vaſto externo ex adverſo inter duas laminas fasciæ latæ per aliquod intervallum decurrit, et in duos plane compreſſos ſurculos (227) discedit, utpote verſus faciem genu anteriorem descendentes, et pluribus minoribus ſurculis diſperſis in cute genu dilabentes. *Anterior* autem ramus (*) mox prope medium ramum juxta femur descendit, et emiſſis quibusdam ſurculis, paulo ſupra genu, in membrana adipoſa conſumitur. Attamen natura haud eadem ſemper lege hunc nervum diſpertit. Subinde enim hæc diſtributio modo â me deſcripto, ſubinde autem alio modo â cl. STYX expoſito et delineato (228) obſervatur. Optandum equidem fuiſſet, ut in tabula cl. STYXII lamina interna faſciæ latæ, cui nervi cutanei incumbunt, delineata conſpiceretur; quod tamen, ut verum fateamur, haud erat factu facile. Cum enim hunc potiſſimum finem ſibi poſuiſſet auctor, ut nervos musculares nervi cruralis anterioris exprimeret, fascia lata conſervari

---

(220) Tab. III. 55.
(221) Ibi. R.
(222) Ibi.
(223) Ibi. 56.
(224) Ibi. 57.
(225) Ibi. 58.
(226) Ibi. 59. 60.
(227) Ibi. infra 57.
(*) Ibi. 58.
(228) L. c. §. XXI. p. 26. Explic. icon. à 201 — 209.

vari non potuit; atque hinc factum est, ut hi rami in ejus tabula supra musculos femoris immediate decurrere videantur. Sed hæcce vota cl. FISCHERUS nuperrime tabulis suis quoque implevit.

§. XXVIII.

Varietas quædam circa nervum cutaneum externum.

Cum (§. XXVII.) quatuor simulatas in origine nervi cutanei externi varietates exponerem, addidi, in *quarto casu* nervum cutaneum subinde omnino *deesse videri*, nihilominus tamen adesse, et explicato plexu lumbali in conspectum venire. In triginta circiter cadaveribus iste casus mihi bis occurrit, et sequenti modo se habuit: omnes alioquin nervi secundarii per peritonæum translucent. In binis autem his speciminibus nervus cutaneus externus haud apparuit. Ablato autem caute peritonæo nullus omnino de absentia hujus nervi dubitabam; at neque exsecto etiam musculo Psoa hic nervus comparuit. Curatius nunc inquirens, quomodo sub his circumstantiis nervus se habeat, detexi, illum una cum nervo medio cutaneo ê trunco nervi cruralis anterioris sub arcu Poupartii ligamentoso abire, extrorsum versus musculos superscandere, versus trochanterem majorem inclinari, laminam dein internam fasciæ latæ perrepere, atque tunc consuetum inter duas laminas fasciæ latæ iter continuare. Sciendi itaque cupidus eram, an hi duo nervi quoque, ut truncus nervi cruralis anterioris, ê plexu lumbali, an autem alia quacunque ratione oriantur. Exscissa igitur quinque paria nervorum lumbalium, et super corticem subereum extensa per tres dies macerationi exposui. Soluta tunc tela cellulosa, et plexu lumbali præparato vidi, nervum cutaneum externum (229) ex filamentis secundæ ansæ communicationis enasci, in ea licet regione, ubi illius filamenta cum filamentis tertiæ ansæ commiscentur. Filamentum internum (230) erat is ipse surculus internus, qui plerumque ê nervo cutaneo externo, paulo ante ejus ê fossa iliaca egressum emittitur, et arteriam cruralem etiam in hoc speci-

mine

(229) Tab. I. fig. IV. k. k. k.
(230) Ibi.

mine comitabatur. Nervus quoque cutaneus medius (231) duabus juxta se invicem sitis radicibus (232) ê filamentis secundæ ansæ communicationis oriebatur. Uterque itaque nervus aderat, sed ad filamenta nervi cruralis anterioris ope tenerrimæ telæ cellulosæ quasi affixus, ita, ut neque unicum filamentulum â plexu ad formationem hujus nervi, aut vice versa â nervo ad formandum plexum, transmitteretur. Nil igitur hic quoque ramulus ad incrementum nervi cruralis anterioris contribuebat. Ex hucusque dictis (§. §. XXVII. — XXVIII.) patet, *nervum cutaneum externum* non tantum constanter adesse, sed et perpetua lege ex secunda ansa communicationis enasci; neque, si forte hunc nervum â tertià ansa abire videamus, illum ideo ex hac ipsa ansa oriri existimemus; id quod æque falsum esset, ac si hunc nervum, quoniam non solito more mox in conspectum venit, omnino deficere dicatur. Cæterum introrsum versus migrantem nervi cutanei externi ramulum interiorem pro nervo accessorio nervi cruralis nunquam habendum esse, sed aut ad formandum nervum quemcunque cutaneum concurrere, aut arteriam cruralem comitari, evidenter demonstravi; nervum autem cruralem anteriorem juxta leges œconomiæ animalis nullis ejusmodi nervis accessoriis indigere, adhuc clarius patebit.

RAMI NERVORUM LUMBALIUM SECUNDARII INCONSTANTES.

§. XXIX.

Omnes hucusque (§. XXI. — XXVIII.) expositi nervi secundarii perpetua lege ex nervis lumbalibus oriuntur. Attamen quidam alii dantur rami, qui *lege instabili* quandoque inde originem ducunt. Huc refero N. *cutaneum medium* et *internum*; N. *cutaneum anteriorem*; porro illum immerito hucusque

(231) Tab. I. l. l.
(232) Ibi, l. l.

que dictum nervum *ad cruralem anteriorem accessorium* WINSLOVII; nec non nervum ante me â nemine descriptum, utpote N. *ad nervum cruralem internum, seu obturatorium, accessorium.* Ultimi duo nervi, si adsunt partim ex plexu lumbali, partim ex ansa quadam communicationis oriuntur; illorum itaque historiam, peracta demum plexus lumbalis descriptione, exponam. Quod autem tres priores nervos cutaneos attinet, nervum scilicet *cutaneum medium, internum,* et *anteriorem*: horum doctrinam eo aptius huc transferre potero, cum singularis horum nervorum proprietas in hoc maxime consistat, quod non perpetuo, secus ac vulgo traditur, ex formato jam nervo crurali, sed quandoque etiam ex ipsis nervis lumbalibus nascantur. WINSLOVIUS e. g. docet, omnes nervos cutaneos, excepto nervo cutaneo externo, ê nervo crurali progigni (233). — SABATIERUS ê contrario duos peculiares ramos tertii paris describit, quorum primus, isque tenerior, sub arcu Poupartii ligamentoso in musculos abdominales inseritur, (hunc ramulum nerveum, immerito quidem sic dictum, *accessorium* WINSLOVII esse censet: cl. auctor enim nullibi amplius hujus nervi mentionem facit); alter autem, isque crassior, in musculos femoris, et in integumenta communia in parte superiori et interiori femoris dispertitur (234) — Cl. MARTINUS recte animadvertit, HALLERUM quinque nervos cutaneos numerare; cum autem quinque nervi cutanei â nervis lumbalibus abeuntes haud reperiantur, ad propriam, quam de nervo crurali anteriori dedit descriptionem, (235) provocat, atque ibi reliquorum nervorum cutaneorum originem quærit, et ramos nervi cruralis describendo, hos nervos cutaneos nominatim recenset. Interim HALLERUS sane non absque omni ratione docuit, nervos cutaneos â nervis lumbalibus ad femur emitti; neque convenit, possibilitatem hujus phænomeni negare, cum hicce casus juxta meas observationes in 5 — 6. cadaveribus saltem semel occurrat. Hinc etiam miror, cl. STYXIUM possibilis illius nervorum cutaneo-

---

(233) L. c. §. §. 310. 311. 312.
(234) L. c.
(235) L. c. §. 194. p. 229. & §. 197. p. 232.

neorum originis haud meminisse. Utique verum est, nervum cutaneum medium plerumque cum nervo musculi sartorii conjunctim ê nervo crurali oriri, et ad fasciam latam migrare; neque negandum est, nervum cutaneum anteriorem communem, cum nervo livido et nervo cutaneo interno ex nervo crurali anteriori, originem ducere. Etsi itaque cl. STYX illum casum, qui plerumque obtinet, recte pro constanti habuerit, origo tamen horum nervorum ex nervis lumbalibus non ita rarus observatur, ut nullam omnino mentionem mereatur. — Quum horum nervorum decursus, quasdam non magni momenti varietates si excipias, cum descriptione cl. STYXII utique conveniat (236), id de illorum ex nervis lumbalibus origine (quomodo scilicet, si nervus cruralis anterior nihil ad illorum genesin confert, res se habeat) adnotare mihi sufficiet.

§. XXX.

I. Nervus cutaneus medius.

Nervus cutaneus medius (237), nervus plane compressus, deorsum decurrens, in nostro specimine ex ansa communicationis tertii paris oritur, parumper oblique decurrit, fasciculos quosdam in superficie inferiori musculi Psoæ ad ejus marginem (238) emittens, ubi deinde secundum longitudinem ad arcum Poupartii ligamentosum usque nervo crurali anteriori (239) ex adverso positus est. Aliquantum deinde extrorsum vergit, ut sub arcu ligamentoso surculum internum nervi cutanei externi attingat, et sub angulo acuto cum illo copulam (240) ineat. Hac denique copula nervus crassior evadens (241) inter

(236) L. c. §. §. IV. V. VI. p. 11. — 40. Nro. 41 — 46. Nro. 47 — 77.
(237) Tab. II. 55. 55. 55. Tab. III. 63. 63.
(238) Tab. III. 4.
(239) Tab. II. 62. 62. Tab. III. c. c. c.
(240) Tab. II. ε. Tab. III. ε.
(241) Tab. III. 63. infra ε.

inter nervum cutaneum externum et anteriorem, quocum parvi furculi (242) ope conjungitur, in media fere regione femoris decurrit. Hanc anaftomofin cl. quoque STYX commemorat. Implantatio quoque hujus nervi ope plurium furculorum partim in extremitate inferiori femoris in latere externo, partim in cute fuper genu, ab hoc anatomico accurate exaratur, ut ratione infertionis omnium nervorum cutaneorum ad hunc auctorem nec non ad FISCHERI opus lectores remittam: hac tamen unica notanda animadverfione, infignem omnium horum nervorum truncum per femur inter laminas fasciæ latæ proficisci, tenuiores tandem furculos laterales in membranam adipofam penetrare, donec tenuiffimi nervuli in eadem difpareant.

§. XXXI.

II. Nervus cutaneus anterior.

Nervus cutaneus anterior (243); qui fæpius equidem ex aliquo nervi cruralis anterioris ramo oritur, e. g. ex *nervo livido*, in hoc fpecimine unica radice (244) ex tertia anfa communicationis progreditur, parvam portionem musculi Pfoæ deorfum et extrorfum (245) perforans, trunco fere nervi cruralis anterioris incumbit, donec fub arcu ligamentofo emergit. Ibi alium adhuc furculum (246) emittit, qui recta ad arteriam cruralem decurrit (247); illamque cum aliquot furculis (248) comitatur, et hoc in itinere cum furculis â nervo lumbo-inguinali ad arteriam cruralem quoque ablegatis (249), in varios

---

(242) Tab II. 58. Tab. III 64.
(243) Tab. II. 51. 51. Tab. III. 65. 65.
(244) Tab. II.
(245) Tab. III. H.
(246) Tab. II. 52.
(247) Ibi. K.
(248) Ibi. inter furculos Lit. M.
(249) Ibi. 44.

rios minores ſurculos confluit, unde rete quoddam nerveum ſuper arteriam conſtruitur, quod illam antrorſum et retrorſum amplectitur. Emiſſo hoc ſurculo ramus princeps ſub faſcia lata, ſuper muſculum iliacum internum et ſartorium (250) per aliquod adhuc ſpatium decurrit, donec tandem antrorſum et ſurſum in femore laminam internam faſciæ latæ (251) perforat, et in duos abit ramos, quorum exterior â ramulo nervi cutanei externi adaugetur (252). Admodum probabile eſt, hunc nervum, ſi ex tertia anſa communicationis, modo â nobis deſcripto, oritur, illum nervum conſtituere, quem, omnium primus, WINSLOVIUS (253) pro nervo acceſſorio nervi cruralis habuit, quem SABATIERUS ad muſculos abdominales (§. XXIX.) ablegat, MARTINUS et STYXIUS autem, juxta doctrinam WINSLOVII, pariter tanquam nervum acceſſorium nervi cruralis admittunt, imo nomine nervi *acceſſorii Winslovii* inſigniunt. In ſequentibus (§. XXXVIII.) hanc diſcrepantiam ſolvere, et omnem errorem tollere conabor.

§. XXXII.

III. Nervus cutaneus interior.

Nervus cutaneus internus, vel quorundam anatomicorum *Superior*, plerumque cum nervo livido et cutaneo anteriori conjunctim ex eodem trunco oritur, & ſubinde etiam cum nervo ſapheno communicantem ramum (254) conſtituit. Oritur autem in noſtro caſu (255) ſub arcu ligamentoſo ê nervo cutaneo medio, una cum illo (256) inter duas laminas faſciæ latæ exit, et

---

(250) Tab. II. H. R. 53.
(251) Tab. III. 65. e.
(252) Ibi. 64.
(253) L. c. §. 287. p. 200 — 201: — Pro acceſſorio ſive ſocio nervi cruralis haberi poteſt.
(254) L. c. §. VI. p. 13. Hicce locus hic invenitur.
(255) Tab. II. 56.
(256) Tab. III. 71. ſuper *e*. 63.

et oblique versus latus internum femoris decurrit. In hoc itinere plures surculos (257) in telam cellulosam glandulas inguinales et femorales cingentem (258) emittit. Nullus quoque horum surculorum ipsam glandularum substantiam intrat. Appropinquans autem lateri interno femoris princeps ramus, in *exteriorem* (259) *medium* (260) et *interiorem* (261) ramum partitur, qui propius sensim ad latus internum femoris accedunt, minores in hoc itinere surculos ad cutem emittunt, et in latere interno genu evanescunt. — Id tamen adnotare oportet, me hanc originem nervi cutanei externi in unico tantum cadavere invenisse; originis vero rationem â cl. STYX descriptam plerumque obtinere, ad cujus ergo tractatum lectores iterum remitto.

§. XXXIII.

Historia plexus lumbalis.

Jam transeo ad *plexus lumbalis* historiam. Vestigia originis istius plexus in libris veterum anatomicorum incassum quæris. *Vesalius* profert ea, quæ sequuntur: *Cruri juxta femoris initium a dorsi medullæ lumborum vertebris, et osse sacro complexæ nervorum, quatuor nervi offeruntur, à reticulari quodammodo plexu perinde procedentes atque præcipuos brachium petentes nervos pronasci, jam antea relatum est* (262). Ex hac descriptione elucet, illum omne symbolum, quod nervi lumbales et sacrales ad generationem anterioris, interioris, ac posterioris etiam nervi cruralis conferunt, tanquam unicum plexum considerasse, ex quo nervi extremitatum inferiorum, eodem modo, ac nervi brachiales e suo plexu, egrediuntur. Cum

(257) Tab. III. 72. 72. 72.
(258) Ibi. O. Q.
(259) Tab. III. 73.
(260) Ibi. 74.
(261) Ibi. 75.
(262) L. c. L. IV. cap. XVII. p. 350.

Cum insuper *plexus ischiadicus* ab una parte a quarto & quinto pari nervorum lumbalium formatur, quod evidentius adhuc in osse sacro conspicitur, id unicum probabilius sub hoc intellexit, & nervum cruralem anteriorem & interiorem primos ex hoc plexu prodeuntes truncos esse credidit. Cum de præsentia peculiaris plexus lumbalis jam certior factus, in ejusdem historiam literariam indagarem, sequentes duas cl. MARTINI (263) animadversiones inveni: *Lumbalium nunc illi considerandi sunt trunci, qui conjunguntur pro notabili quodam plexu formando*; & in altero mox paragrapho: *Nervus cruralis vel femoralis ex communi quodam plexu secundi, tertii quarti, & quinti lumbalium provenit.* Etsi in hac ultima descriptione, quæ explicandæ origini nervi cruralis inserviat, falso assumatur, nervum hunc etiam a quinto pari oriri, (quod tamen par nunquam ad formandum hunc nervum aliquid confert;) & cum potius verosimile sit, tam cl. MARTINUM, quam cl. GÜNTHERUM (264) occurrentem quandoque lusum, ansam nimirum quamdam nervi cruralis postea sigillatim (§. XXXVII.) exponendam, pro hoc plexu habuisse; gaudebam tamen plurimum, mihi in itinere, quod me solum facere suspicabar, duos clarissimos in re anatomica viros mihi a longe obviam factos esse (*).

§. XXXIV.

---

(263) L. c. §. 195. p. 230. §. 197. p. 231.

(264) Kurzer Entwurf der Nervenlehre. Düsseldorf. 1789. p. 152.

(*) Dantur, eheu! eruditi, qui si forte collegam omnibus humanæ vitæ bonis atque deliciis perfrui vident, æquabiliori id ferunt animo, quam vel tenuissimum illius in re aliqua noviter detecta meritum. Hos itaque, cum cel. MARTINI & GÜNTHERI sententias recensui, ego ipsemet admoneo, ne ea, qua gaudent perspicacia, nullum mihi in perexigua plexus hujus observatione meritum deberi, se observasse aliquando glorientur. Quomodo vel ipsam invidiam placare melius possem, non video. HALLERUS tamen aliter sentit: *Præterea æquo animo oportet expendisse, non eum verum inventorem esse, cui vaga aliqua cogitatio elapsa est, in nullo fundata experimento, sed eum omnino eam laudem mereri, qui verum ex suis fontibus per sua pericula, suasque meditationes eruerit, & adeo firmis rationibus stabiliverit, ut veri cupidos convincant* — El. Phys. T. I. L. III. circ. sang. sect. III. §. 32. — Dantur

§. XXXIV.

Occaſio detegendi plexum.

Communis nervorum ſpinalium proprietas, uti cl. PROCHASKA omnium primus docuit, eſt, ut plura nervea filamenta ope fibrillarum lateralium inter ſe invicem conjungantur. Quo remotius hæc filamenta a ſpina dorſi, eo pauciores ejusmodi communicationes obſervari ait, ita ut filamenta juxta ſe parallela per ſat magnum ſpatium decurrant, quin dein anaſtomoſis aliqua locum habeat. Ejusmodi anaſtomoſin cl. PROCHASKA (Tab. III. fig. I. II.) delineatam exhibet, & *concatenationem* vocat. Aſſerit cl. vir, hanc concatenationem *frequentiſſime* in nervis brachialibus, *rariſſime* in nervis lumbalibus & ſacralibus, & in illis ex his ultimis prodeuntibus ſingulis nervis, nervo ſcilicet anteriori & poſteriori crurali, obſervari poſſe. At contrariam prorſus ſententiam cel. SCARPAM proferre animadverti; docet enim, unumquemque ex plexu iſchiadico provenientem ſingularem nervum & in pede adhuc ex tot fibrillis, quot paria ad truncos principes formandos ſymbolum ſuum contulere, compoſitum eſſe, atque hinc neceſſariam omnino eſſe hanc filamentorum nerveorum inter ſe concatenationem.

A) Disquirendo concatenationes nervorum in extremitatibus inferioribus.

Excitatus & horum virorum authoritate & rei dignitate tam in nervo mediano & cubitali, quam in nervo crurali poſteriori in haſce concatenationes ſtudio inquiſivi, quas etiam utrobique, etſi ſæpius in nervis brachialibus, quam in nervo crurali, reperi. At nunc curioſius indagare volebam, an

tur interim, quod in honorem literaturæ germanicæ cedit, qui hiſtoriam inventi alicujus fido veroque exaratam calamo, non ultimam laudem eſſe cenſent. Atque his æquis cenſoribus hanc detecti plexus hiſtoriam dicatam volo.

an generatim hujus generis concatenationes in nervo crurali anteriori tam raro contingant, uti cl. PROCHASKA asserit. Singulos itaque ex hoc nervo sub arcu Poupartii ligamentoso prodeuntes ramos sedulo dirimando nullam concatenationem, sed filamenta parallela detexi. A ramis nunc ad truncum ipsum regrediens sub arcu & intra arcum largam vidi concatenationem, i. e. filamenta per parvum aliquod spatium parallela juxta se decurrunt, mox tamen duobus, aut tribus surculis lateralibus conjunguntur, ulterius iter faciunt, atque denuo copulantur. Jam truncum nervi cruralis anterioris versus suam originem prosequebar, atque nec ullam fibrillam parallele proficisci, sed quodvis filamentum ita cum aliis permisceri, ac cum secundo, tertio, quartoque filamento tam arcte conjungi observavi, ut hac prima vice chaoticam hanc texturam explicare non auderem. Secunda & tertia vice hunc laborem repetii, & idem semper phænomenon inveni. Atque ita hæc mihi conjectura subnascebatur, naturam in eo loco, quo originem trunci nervi cruralis anterioris hactenus mentiebatur, plexum aliquem clandestinum construxisse.

§. XXXV.

B) Disquirendo concatenationes nervorum in extremitatibus superioribus.

Analogiam in meditando & scrutando ducem elegi. Sunt, qui, ut SCARPA, PROCHASKA & MONRO, docent, omnes truncos nerveos ex plexu quodam prodeuntes in decursu concatenationes habere. Utique & ego juxta cel. PROCHASKAE observatum frequentes ejusmodi concatenationes, in nervo mediano & cubitali inveni; sed & in nervo axillari & radiali, tanquam ramis principibus, copiosæ hujus generis concatenationes in conspectum veniunt. At quamprimum hi rami principes in surculos abeunt, non amplius concatenantur. Rara nervo musculo-cutaneo, rara nervo cutaneo interno, nulla omnino nervo suprascapulari concatenatio inest. Plexum brachialem a cel. SCARPA in plexum majorem & minorem dividi, constat. Si hæc divisio, uti certum est, præsupponit, ex implicitis & pertextis quinque crassis funi-

culis nerveis, quorum quatuor â nervis cervicalibus, ultimus autem â nervis dorſalibus provenit, plexum brachialem majorem (265) enaſci, mediante vero inferiori plurium filamentorum congerie & decuſatione, quæ tanquam intimior, teneriorque renata conjunctio omnium quinque funiculorum conſideranda eſt, adhuc ante geneſin nervi mediani & cubitalis, plexum brachialem minorem (266) â SCARPA inventum formari; & porro ſi verius vero ſit, binos ramos ê plexu brachiali minori provenientes largiores filamentorum parallelorum concatenationes formare: inde recte conjectabam, omnes ramos concatenatos â *teneriori quodam plexu* ordiri poſſe. Sed jam prius innui, nervum quoque axillarem & radialem larga concatenatione utique gaudere. Ne itaque conjecturalis tantum eſſet mea concluſio, oportebat memet ipſum certiorem facere, nervum quoque axillarem & radialem â tenui ejusmodi plexu originem ducere.

Nova disquiſitio plexus brachialis.

Atque ita ſe res omnino habet. Si enim plexum brachialem majorem juxta noſtram delineationem (267) attentis oculis intueamur, clare patet, nervum medianum (268) & cubitalem (269) ex filamentis quinti, ſexti, ſeptimi, octavique paris nervorum cervicalium, nec non primi paris dorſalium (*) conſtare, plura tamen filamenta ad formandum nervum medianum, pau-

(265) L. c. Tab. II. fig. II. III.
(266) L. c. ibi. e. d. hh.
(267) Tab. I. fig. VI.
(268) Ibi. c.
(269) Ibi. d.

(*) In hoc caſu non ſeptem paria nervorum cervicalium cum cel. MONROO, ſed juxta cel. SCARPAM octo paria ſtatuo, eo fine, ut inſtitutæ â me comparationes clarius perſpiciantur. Is quoque ſurculus, qui uti MONRO docet, â tertio pari ad quartum, aut juxta SCARPAM à quarto ad quintum progreditur, & ramum ad *nervum phrenicum* ablegat, pro anſa ſolummodo communicationis inter utrumque par nervorum cervicalium habendus eſt. Parvus plerumque eſt, & ſane raro ea craſ-

pauciora autem ad cubitalem, concurrere. Antequam autem hi duo nervi proveniunt, quædam omnium quinque parium filamenta se invicem decussant, & tali modo *plexum brachialem minorem* SCARPÆ constituunt. Enatos inde duos nervos, tanquam *duos principes nervorum* brachii, cel. SCARPA (270) considerat. Miror, præstantissimum hunc incisorem non observasse, nervum axillarem & radialem æque, ac nervum medianum & cubitalem, e filamentis omnium quinque parium nervorum componi, imo hosce ipsos priores *duos nervos, quasi ex peculiari unumquemque plexu prodire.*

Plexus duo minores in plexu brachiali majori noviter detecti.

Si quis attente nostram delineationem considerat, perspiciet, superius filamenta quinti & sexti cum ansa communicationis quarti conjuncti paris (271) confluere, & se invicem decussare. Ex *minori*, eoque *superiori*, *plexu* (272) â filamentis partim quarti, partim & inprimis â filamentis quinti & sexti paris, formato, sursum etiam concatenata filamenta (273) prodeunt, quæ fasciculum nerveum, nervo musculocutaneo (274) & mediano (275) impensum, constituunt; alter fasciculus (276) ex decussatis jamjam filamentis enatus, nervum axillarem exstruit. Cum nervus autem axillaris hoc modo ex filamentis tantum quinti & sexti paris nervorum cervicalium constet, â *minori*

crassitie, qua MONRO illum delineavit (Tab. IX. fig. I. 11.), invenitur. Quartum igitur par nervorum cervicalium ad formationem plexus brachialis majoris, respectu reliquorum parium, perparum conferre valet.

(270) Tab. I. Fig. VI. C. C. C.
(271) Ibi. I. II.
(272) Ibi. A. A.
(273) Ibi.
(274) Ibi. a. b.
(275) Ibi. c.
(276) Ibi. e.

minori medio plexu (277) validum quoddam filamentum (278) nanciscitur. — *Minor*, *isque medius*, *plexus* ê filamentis quinti, fexti, feptimi & octavi cervicalium, primique paris dorfalium conftruitur: cum itaque illud fat forte ê plexu medio ad nervum axillarem migrans filamentum (279) commune quoddam, omnium majorem plexum conftituentium parium, fupplementum fit, patet, nervum quoque axillarem pariter, ac medianum & radialem, ex filamentis omnium quinque parium componi debere. Uti autem ê plexu brachiali minori SCARPÆ plura filamenta ad nervum medianum, pauciora ad cubitalem pergunt, eodem modo res nervum radialem inter & axillarem fe habet. Maxima nimirum pars minoris medii plexus formando nervo radiali (280), minima nervo axillari impenditur. — Nervus cutaneus internus (281) ex conjunctis tantum filamentis ultimi paris nervorum cervicalium, & primi dorfalium paris (282) componitur. — Ex præmiffis hisce disquifitionibus fequentia confectaria non absque omni ratione deduci poffe exiftimo.

Confectaria ex præmiffis disquifitionibus deducta.

I. Dantur in plexu brachiali majori tres plexus minores: plexus minor *fuperior* (283), plexus minor *medius* (284), & plexus minor *inferior* (285), merito *plexus Scarpæ* nuncupatus, qui ante SCARPAM nec â CAMPERO defcriptus fuerit. Plexus minor *medius* & *infimus* ex communi omnium quinque parium nervorum fpinalium concurfu, fuperior autem plexus ex tribus tantum paribus conftat, adeoque fimpliciffimus eft.

II. Pro-

---

(277) Tab. I. Fig. VI. B. B. B.
(278) Ibi.
(279) Ibi.
(280) Ibi. f.
(281) Ibi. g.
(282) Ibi. IV. V.
(283) Ibi. A. A.
(284) Ibi. B. B. B.
(285) Ibi. C. C. C.

II. Prodeunt ex tribus hisce minoribus plexubus quatuor trunci principes nervorum brachii. Ex inferiori nervus medianus, & cubitalis, ex superiori & medio nervus axillaris & radialis. Attamen ex plexu inferiori *Scarpæ* nervus medianus plura filamenta, pauciora nervus cubitalis nanciscitur; eodem modo plurima ſtamina plexus ſuperioris efformando nervo axillari inſerviunt, plexus autem medii maxima pars nervo radiali impenditur.

III. Quilibet horum truncorum principum, priusquam in ramos diſtribuitur, concatenationes in decurſu habet.

IV. Reliqui tres trunci ſecundarii, ſcilicet nervus ſupraſcapularis, musculo-cutaneus, & cutaneus internus, non ex ejusmodi plexubus proveniunt. Nervus ſupraſcapularis ſoboles quarti paris nervorum cervicalium eſt; ſecundus vero ex octavo pari nervorum cervicalium, & primo pari nervorum dorſalium progignitur. Nullam omnino nervus ſupraſcapularis durante decurſu, raram quoque nervi cutanei concatenationem texunt.

V. Ex his omnibus (§. 34. 35.) majori adhuc cum probabilitate colligi poteſt: A) Naturam in majorum quorundam truncorum nerveorum initiis plexus aliquos clandeſtinos locaſſe. B) Hosce, ex ejusmodi plexubus prodeuntes truncos in decurſu, antequam in ramos abeunt, concatenationes formare. C) Eo frequentius id genus concatenationum obtinere, quo plures & diverſiores nervi plexum efformant, & quo fortior eſt aliquis truncus nerveus, atque ratione uſus majoris momenti. D) Rarius denique iis, qui ex congerie nexuque duorum duntaxat ramorum componuntur, nervis concatenationes ineſſe. Huc pertinent duo nervi cutanei. E) Probabilius è contrario nullis omnino concatenationibus illos nervos cohærere, qui ſimplicioris originis ſunt, e. g. nervum ſupraſcapularem.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Descriptio plexus lumbalis.

Nullum itaque amplius dubium superest, naturam in simulatis quibusdam nervorum truncis, ut in truncis plexus brachialis majoris, in quo cum diversis diversæ originis nervis intimum connubium inire voluit, clandestinos plexus construere. Ipsa analogia & anatomicum & physiologum ad conjecturam ducit, naturam in nervis extremitatum inferiorum eodem uti sapientissimo instituto, ac in nervis brachii. Sed Autopsia quemlibet veri magis convincit. — Ex illis, quæ hucusque de quinque paribus nervorum lumbalium, atque illorum ansis communicantibus dicta sunt, clare elucescit: I) Nervum cruralem anteriorem â natura constanti lege ex quatuor prioribus nervorum lumbalium paribus produci; II) Secundam ansam cum filamentis primæ intime conjunctam esse, antequam secunda ad tertiam pervenerit; III) Ansam autem communicationis tertiam ex filamentis primi & secundi paris nervorum lumbalium conflatam, sub angulo acuto cum quartæ superioris ansæ communicationis staminibus copulari, quippe quæ simplicioris originis est. — Ut igitur hæc simpliciora filamenta nervea quarti paris cum filamentis nerveis priorum trium parium intime permiscerentur, atque arcte conjungerentur, sic, ut intima esset unio, maximusque consensus cunctas inter fibrillas nervi cruralis anterioris, atque ut vis nervea omnium quatuor parium in unum quoddam punctum conflueret, largissimum ibi plexum natura instruxit, quem *plexum lumbalem* adpello. Videmus in hoc plexu, stamina vario modo inter se decurrere jungique, ex illorum conjunctione novas iterum fibrillas prodire, alia jamjam conjuncta stamina decussantes & mox iterum ad remotiora migrantes, ut cum illis eodem modo jungantur. *Magnus ille plexus lumbalis* (in Tab. I. Fig. V. Lit. K. K.) â latere dextro, (in Tab. I. Fig. IV. Lit. K. K.) â latere sinistro, accuratissime præparatus repræsentatur. Filamenta nervea ope licet densæ, tamen tenerioris, telæ cellulosæ ita inter se invicem pertexta sunt, ut fabrica plexuformis nondum dignoscatur, si truncus (Tab. I. Fig. III. Lit. K. K. K.) ope acuum quarundam duntaxat diducatur. Quodsi nimirum, uti hucus-

que

que factum fuit, iste plexus haud explicatur, perpetuo unicum crassumque truncum (uti Tab. I. Fig. II. K. K.) mentitur. Veruntamen specimine per aliquot horas macerationi exposito, & dein tela cellulosa ope subtilioris volsellæ & cultelli anatomici superficialiter tantum exsecta, decussatio filamentorum, qualis (in Tab. I. Fig. I. Lit. K. K.) exhibetur, comparet. At & plurimi otii, & summæ patientiæ, & dexteræ manus res est, ut ne cum tela cellulosa fibrillæ nerveæ una exscindantur, si præprimis plexum explicare velis, qualis in Tab. I. Fig. IV. & V. exhibetur. Positus est exacte intra spatium, â duabus illis (ib. IV. & V.) lineis transversis limitatum. Orditur, si illum in statu integritatis consideremus, in illo angulo (286), qui â concursu tertiæ ansæ communicationis cum superiori ansa communicationis quarti paris efficitur, ex adverso fere processui transverso quartæ vertebræ lumborum; exuit autem plexus naturam ex adverso cartilagini intervertebrali (287), quæ ultimam vertebram lumborum cum osse sacro conjungit. A musculo Psoa perfecte tegitur (288). Mox infra plexum incipit *nervus cruralis anterior*, musculo iliaco interno incumbens; illius truncus (289) in margine exteriori musculi Psoæ apparet. Quemadmodum omnes ê plexubus prodeuntes nervi concatenationibus cohærent, sic & truncus nervi cruralis anterioris (290); at eo rariores occurrunt, quo magis properat nervus, fossam iliacam deserere; dûm enim sub arcu ligamentoso *Foupartii* in ramos abit, nulla omnino filamentorum concatenatio observatur. Durante ejus supra musculum iliacum internum decursu ab illo (rarissime autem â plexu ipso) ex facie postica plerumque tres & quatuor, rarius quinque etiam, surculi (291) in carnem hujus musculi emittuntur, quorum nonnulli quamdam ineunt anastomosin.

Juvat

---

(286) Tab. II. 63.
(287) Tab. II. Nro. V. 2.
(288) Tab. III. H.
(289) Tab. III. c. c. c.
(290) Tab. I. Fig. IV. E. E. E. E. V. E. E. E. E.
(291) Tab. II. 64. 65. 66. 67. - & III. 66. 67. 68. 69.

* * *

Juvat arripere ansam, dicendi meam circa cel. FISCHERI doctrinam de quibusdam nervis & *plexubus* opinionem. Docet enim cl. vir, nervum cruralem anteriorem recipere *surculum anastomoticum nervi cutanei externi*, qui illum nactus, *plexum exiguum pro musculo Psoæ* format, ex quo ad eundem musculum varii tendant rami. Præcipuus eorum ab auctore nomine *nervi recurrentis Psoæ* insignitur, quippe qui ductu serpentino in fibras Psoæ sursum flectatur, & in carne ipsius terminetur. Docet porro, plexum hunc parvum ab interno nervi cruralis anterioris latere formari, & constitui alium, quem vocat *iliacum*, âb externo hujus nervi latere. Isti duo plexus, & anastomosis nervi cutanei externi, nec non nervus recurrens Psoæ, in Tab. II. nitide repræsentantur. — Verum hisce cl. FISCHERI decretis neutiquam adstipulari possum. Nam illam nervi cutanei externi cum nervo crurali anteriori, etsi â tot & tantis celebratam, anastomosin haud existere, jam (§. XXVII.) uberius demonstravi, atque iteratis cadaverum incisionibus mihi persuasissimum habeo. Accedit, quod, in omnes nervorum lumbalium varietates licet studio inquirerem, nunquam tamen, neque â latere nervi cruralis anterioris interno, neque ê plexu FISCHERI sic dicto *iliaco* nervulum quemdam ad musculum Psoam redientem videre mihi contigerit; quid! quod quilibet ipsius naturæ testimoniis convinci potest, ab interno nervi cruralis anterioris latere nunquam ullum diffundi stamen nerveum. Equidem non me fugit, illos tres, vel quatuor, vel quinque surculos â facie plerumque postica nervi in carnem iliacam emissos aliquam utique celebrare anastomosin, atque diversimode inter se invicem jungi. At si quælibet simplex nervorum anastomosis ad plexum constituendum sufficeret: quotne plexus nervorum effingi potuissent? *Exigit autem quivis plexus genuinus congeriem variorum variæ originis nervorum, eorum decussationem atque intimiorem denuo copulam, ad quemdam remotiorem, eumque præcipuum finem, quem natura sibi proposuit.* Cum itaque illi ramuli, plexus iliacos FISCHERI effingentes, & unam, eandemque ex nervo crurali anteriori originem ducant, & minime congerantur, sed diversis in locis carnem intrent, & ibi nonnullarum duntaxat fibrillarum ope simpliciorem anastomosin constituant: prone fluit, id genus anasto-

anastomoseos simplicioris nomen *plexus* neutiquam mereri. Nec est, cur natura, nato jam plexu lumbali, duos duobus musculis dicatos plexus iterum conderet! Veruntamen haccine cl. FISCHERI doctrina excitatus nuperrime nervum cruralem anteriorem cultro anatomico iterum subjeci, & in rationem distributionis surculorum, carnem iliacam intrantium, quiete inquisivi. At iis, quæ jam dicta sunt, tantum habeo addenda, inciforem â quadam reciproca illorum ramulorum cum quibusdam vasis cohæsione facile decipi posse.

* * *

Nervo crurali anteriori ex fossa iliaca egredienti *arteria cruralis* (292) ex latere adjacet, ipse autem nervus in partem rotundam musculi iliaci interni quasi penetrare videtur, sed re vera in plures peculiares ibi ramos dehiscit, qui ad musculos in anteriori præsertim parte superiori femoris sitos migrant, quorum delineationem & descriptionem cl. STYXIUS, nec non cl. FISCHERUS nobis sat lucide tradiderunt; hosce autem ramos eo magis silentio præterire possum, cum nihil de iis novi addendum habeam.

§. XXXVII.

Varietas quædam circa nervum cruralem anteriorem, subinde plexum MARTINI & GÜNTHERI effingens.

Cum ex instituto hujus operis omnes varietates, quantum potero, delineare & describere promiseram, illum naturæ lusum silentio præterire haud licet, quo cel. MARTINUS & certissime cl. GÜNTHERUS adducti sunt, ut peculiarem in nervo crurali anteriori plexum assumerent. Datur quandoque scilicet peculiaris, brevior longiorve, ansa insulam quasi efformans, quam circiter in septem cadaveribus bis inveni. Sed ipsius GÜNTHERI verba audiamus: „*Nervus cruralis anterior oritur a quarto, tertio, secundo*

(292) Tab. II. K. — — Tab. III.

„*cundo*, & *ſubinde*“ (ſemper) „*etiam a primo*, &“ (nunquam) „*quinto* „*pari nervorum lumbalium*, *unde plexus oritur*, *qui inter mus*„*culum Pſoam* & *musculum iliacum internum plerumque* „*in duos truncos juxta musculum Pſoam deſcendentes* „(293) *conjungitur*“. Hæc autem anſa ipſe plexus neutiquam eſt; ſed res juxta meas obſervationes duplici modo ſe habet. — Vel enim â tribus primis permixtis anſis extrorſum verſus, antequam tertia anſa communicationis quartam adhuc ſuperiorem anſam quarti paris ad formandum plexum attigerit, fasciculus fortis (294) ſecedit, & infra plexum deinde in nervum cruralem iterum confluit. — Vel, plexu jam formato, infra plexum nervus cruralis anterior in duos partitur truncos, qui ante ex foſſa iliaca egreſſum pari modo iterum ſeſe conjungunt. In primo caſu (uti in Tab. I. Fig. I. a. a.) anſa longior eſt, longioremque inſulam formans; filamenta, jam antea concatenata, & infra plexum cum nervo crurali denuo conjuncta, plures ineunt concatenationes (295), plexus autem tunc paulo debilior evadit. In ſecundo autem caſu anſa brevior eſt, & ipſius filamenta haud plures, quam ipſe nervus cruralis, concatenationes habent. Plexus eandem ubique craſſitiem exhibet. In utroque tamen caſu ipſe plexus perpetuo adeſt; inter inſulam autem, pro varia illius magnitudine, major aut minor faciculus faciei poſterioris musculi magni Pſoæ receptus eſt, qui in memorata inſula quaſi inhabitat.

§. XXXVIII.

Nervus arteriæ crurali proprius.

Winslovius (296), martinus (297), & styxius (298) peculiarem exponunt nervum, qui â tertio pari nervorum lumbalium enatus cum nervo crurali

(293) Kurzer Entwurf der Nervenlehre. S. 152.
(294) Tab. I. Fig. I. a. a. a.
(295) Ibi. β. β.
(296) Tract. de nervis. §. 287.
(297) L. c. §. 194. pag. 229.
(298) L. c. §. II. pag. 7. 8. Icon. ſub. L. a.

crurali adaugendo conjungatur. Dicitur *nervi cruralis accessorius*, *seu socius*. At res, quoad hunc nervum juxta meas disquisitiones, aliter omnino se habet. Ex omnibus iis, quæ supra (§. XXXI.) dixi, elucet, hunc nervum subinde, si ex tertia ansa communicationis oritur, nervum cutaneum anteriorem femoris formare, ac deinde, uti dictum est, etiam introrsum surculum (299) ad arteriam cruralem ablegare, qui super illa in plures dispertitur surculos. Hic nervus autem sæpe ex ipso plexu (300) modo in principio, modo in medio illius, prodit. At toties etiam prorsus deest. In sex cadaveribus ternis vicibus hunc nervum haud reperi. Hacce autem inconstantia facile potest contingere, ut ille ex tertia ansa communicationis oriatur, quin nervus cutaneus anterior sit, etsi hunc casum nunquam observaverim. At seu nervus hic ex tertia ansa communicationis, nervum cutaneum anteriorem formans, seu ex ipso plexu, seu ex ipsa tertia ansa communicationis, quin nervum cutaneum anteriorem efficiat, oriatur: audacter asserere semper posse existimo, hunc nervum munere nervi ad nervum cruralem anteriorem accessorii nunquam fungi. Quomodocunque se res habeat, juxta meas disquisitiones continuo reperi, illum modo longiori, modo breviori spatio nervo crurali anteriori laxe tantum incumbere, & cum filamentis trunci, ante jam sat fortis, neutiquam commisceri, sed quamprimum ad arteriam cruralem propius accedit, de trunco nervi cruralis anterioris deflectere, & pluribus surculis in tela cellulosa, arteriam cruralem amplectente, consumi. Totus itaque hic nervus arteriæ crurali dicatus est; nam tam juxta longitudinem, quam in omni peripheria arteriæ cruralis (301) in plures abit surculos sic, ut merito *nervus arteriæ crurali* proprius nuncupari possit. Etenim in illo etiam casu, ubi neque è plexu, neque â nervo cutaneo anteriori iste pronascitur nervus, infra arcum Poupartii ligamentosum surculus quidam alius partim juxta arteriæ cruralis longitudinem decurrens, partim pluribus surculis

(299) Tab. II. 52.
(300) Tab. I. Fig. II. m. III. m. IV. m. V. m.
(301) Tab. II. K.

lis ipſum arteriæ truncum amplectens, â nervo crurali anteriori emittitur: manifeſto indicio, *naturam arteriæ crurali peculiari nervo proſpicere voluiſſe.*

§. XXXIX.

Nervus cruralis internus ſ. Obturator.

Quemadmodum nervus cruralis anterior â plexu, ex concurſu filamentorum nerveorum quatuor priorum parium nervorum lumbalium formato, naſcitur, ita etiam natura alium inſignem nervum, interiori lateri ſuperioris femoris dicatum, eodem pene modo producit, cui intercedit cum nervo crurali anteriori tam ratione originis & filamentorum permixtionis, quam ratione uſus tanta ſimilitudo, ut merito ſecundus, ex filamentis omnium quatuor parium lumbalium enatus, truncus habendus ſit. Vocatur â recencioribus anatomicis *nervus obturatorius*, mihi autem ratione originis & decurſus *nervus cruralis internus* audit.

Hiſtoria hujus nervi.

Ex hiſtoria hujus nervi patebit, varias eſſe variorum anatomicorum de primordiis hujus nervi opiniones, etſi natura perpetuam hic quoque legem ſanxerit. — VESALIUS hunc nervum appellat *tertium nervum femoris enatum, ubi quarta lumborum vertebra quintæ articulatur* (302), & in tabulis VESALII nervus hic ita exhibetur, ac ſi unice ex quarto pari nervorum lumbalium primordia ſua caperet. — Ab EUSTACHIO *inſignis ab utroque latere nervus* dicitur. Secundum illius doctrinam tribus radicibus oritur, quarum prima â ſecundo pari, ſecunda â tertio, tertia â quarto pari enaſcitur (303). — BERRETINUS origi-

(302) VESALII de hum. corp. fabrica libri ſeptem. Baſileæ. 1480. Cap. XVII. p. 351.

(303) B. S. ALBINI Expl. Tab. anat. Barth. Euſtachii. Tab. XIX. II. p. 75.

originem hujus nervi eodem modo, ac EUSTACHIUS, exhibuit. Ambo nervi ibi vocantur *ab Ischii foraminibus dimanantes, et supra pectinæos musculos dispersi.* Quibusdam etiam surculis nervi ischiadici conjungi, et ad superficiem penis dispergi dicuntur (304). — A VIEUSSENIO nervus noster nimis parvus exhibetur. Illum unica radice â tertio pari, duabus â quarto, & unica iterum radice ê quinto pari enasci asserit (305). — WINSLOVIUS, uti videtur, EUSTACHII authoritate nititur; SABATIERUS autem, HAASIUS, & MARTINUS WINSLOVII sententiam tuentur. Hunc nervum (*sub denominatione nervi cruralis posterioris descriptum*) â tribus surculis primi, secundi, & tertii paris nervorum lumbalium formari, docet MONROUS (306): — CAMPERUS vero existimat, nervum obturatorem sæpius ex tertio & quarto pari, & subinde secundum MONROUM etiam ex tribus primis paribus, nunquam autem ex quinto oriri (307). — WALTERUS in splendido suo opere illius originem ita sistit, ut prima radix ê medio ansæ communicationis paris secundi, secunda tribus fibrillis ex ansa communicationis tertii, tertia autem radix tenuior ex ansa communicationis paris quarti oriatur (308). — GÜNTHERUS ait: *nervus obturator oritur ex secundo, tertio, & quarto, quandoque ex primo, secundo, & tertio pari nervorum lumbalium, duabus plerumque radicibus, quarum prima æque major, ex secundo & tertio, secunda autem minorque ex quarto pari nervorum lumbalium enascitur.* Ratione itaque originis partim cum EUSTACHIO, partim cum MONROO consentit GÜNTHERUS, ratione autem numeri & magnitudinis radicum peculiarem doctrinam statuit (309). — Cl. STYX triplicem hujus nervi originis ratio-

(304) Tab. anatom. Petr. *Berrettini* ed. â Franc. Petraglia Romæ 1788. Tab. XIV. p. 42. d. d. P. P.

(305) L. c. Tab. XXVIII. 67. Ramulus tertii nervi lumbalis, qui inferiora versus tendens una cum ramulis 68. 68. & ramulo 69. nervum 70. 70. efformat.

(306) L. c. p. 62.

(307) L. c. cap. tert. §. I. o—o.

(308) L. c. Tab. I. Fig. I. 142. 143. 144. 145. 146. 147.

(309) L. c. Pag. 151.

rationem admittit, aut â ſecundo, tertio, & quarto; aut â primo, ſecundo, & tertio; aut â tertio & quarto pari (310). Atque ita cum tres hosce originis modos poſſibiles eſſe ſtatuit, decretum EUSTACHII cum ſententiis MONROI & CAMPERI conciliat. — FROTSCHERUS etiam ſine dubio hanc ipſam STYXII doctrinam tuetur (311). Cum enim ait: „*hic nervus ſuam debet* „*originem, vel pari ſecundo, tertio,* & *quarto; vel primo, ac ſecundo;* „*vel tertio ac quarto*"; inde, ut mihi equidem videtur, haud ſequitur, illum aſſerere, hunc nervum etiam â ſecundo & tertio pari poſſe oriri; ſed potius opinor, hæcce duo verba: *ac tertio* poſt ſecundum *vel* omiſſa fuiſſe; atque ita hæc opinio ad errorem ſcriptoris aut typographi reducitur; conſtat enim, cl. FROTSCHERUM in deſcribendis peculiaribus nervis anteceſſores ſuos pie ſecutum fuiſſe. — „Ne*rvus obturatorius*" — ita docet cl. FISCHER — „*originem ſuam ex ſecundo, tertio* & *quarto pari lumborum ita trahit,* „*ut ex ſecundo unam quidem, ſed ſatis craſſam, ex tertio tres ac tenuio*„*res,* & *ex quarto unam tenuem radicem accipiat* (Vid. ejus Tab. I. „Fig. 2. Nro. 142. 143. 144. 145. 146. 147.)". — Cum dein cl. auctor diverſas diverſorum anatomicorum, circa nervi originis rationem, ſententias recenſeat, illis neutiquam refragatur, licet obturatoris nervi originem juxta WALTERI iconem ad amuſſim exhibuerit, & candide. Etenim aperte dicit: „*ſive vero hac, ſive illa ratione, ſive duplici, ſive triplici, ſive denique qua*„*druplici radice enatus, non ita multa poſt in unum truncum confluit*". — Ex brevi hac doctrinæ de origine nervi obturatorii hiſtoria facile perſpicitur, magnum adhuc inter auctores de origine hujus nervi diſſenſum eſſe. Hic igitur fuſius exponere mihi animus eſt, quid tot disquiſitionibus in doctrina anteceſſorum meorum confirmatum, vel falſum inveni, verbotenus videlicet ac ſimpliciter referendo id, quod in natura ipſemet obſervavi.

Dis-

(310) L. c. pag. 23. §. XVII. Qui (n. obturat) â ſecundo tertio, quartoque lumbalium nervorum paribus, interdum vero â primo ſecundo ac tertio, vel â tertio ac quarto tantum oriri ſolet.

(311) L. c. §. XXV. p. 17.

Disquiſitio mea.

Perpetuo nervum cruralem internum, ſeu obturatorem (312) â primo, ſecundo, tertio & quarto, nunquam autem â quinto pari nervorum lumbalium primordia capere, mihi perſuaſum habeo, ita, ut conſtantem ratione loci, ubi enaſcitur, naturæ legem agnoscam. At quot radicibus ex dictis paribus hicce nervus ſemper oriatur, determinari haud poteſt; partim ideo, quod ejus filamenta cum anſis communicationum ope plurium proceſſuum nerveorum plerumque cohærent, atque abruptis, aut abſciſſis tantum nectentibus telæ celluloſæ fibrillis ſeorſim exhiberi poſſunt; partim ob inconſtantem circa numerum radicum legem. Oritur plerumque unica radice, primo nempe intuitu (313), mox ſuperius ex anſa communicationis ſecundi paris, quandoque autem etiam ex medio illius (314). Semel duabus radicibus illum (315) prodire obſervavi. Radix hæc cum anſa communicationis plus minusve concatenata, ad faciem anticam tertiæ anſæ communicationis progreditur, & ibi cum radicibus â tertio pari ablegatis ſeſe conjungit. Verum neque numerus radicum, quæ ab anſa communicationis tertii paris ad formationem nervi cruralis interioris abeunt, neque regio, ex qua radices ab anſa primordia capiunt, conſtantem naturæ legem obſervant. Plerumque enim duo (316), tresve (317) faſciculi inter ſe & anſam communicationis (ita concatenati, ut vel ob hanc ſolam rationem numerum radicum definire haud liceat), modo ab initio (318), modo partim ab initio, partim ex medio anſæ communicationis abeunt. Subinde autem tertius faſciculus (319) in vicinia ipſius plexus lumbalis enaſcitur, atque hic caſus tunc plerumque obti-

net,

(312) Tab. I. Fig. I. M. II. M. III. M. IV. M. V. M. Tab. II. 69. Tab. III. 70.
(313) Tab. I. Fig. I. γ. II. β. IV. 3. & Tab. II.
(314) Tab. I. Fig. III. γ.
(315) Tab. I. Fig. III. γ.
(316) Tab. I. Fig. III. S. S.
(317) Ibi. Fig. I. S. S. S. — II. γ. γ. γ. — IV. γ. γ. γ. — V. γ. γ. γ.
(318) Ibi. Fig. II. Fig. IV.
(319) Tab. I. Fig. V. — Fig. II.

net, ſi nervus cruralis interior in decurſu ſuo cum plexu lumbali angulum acutum conſtituat. Una vice, cum faſciculi altius prodirent, ita ut non firma cum anſa communicationis concatenatio locum haberet, furculum ex radicibus (320) provenire vidi, qui in plexum lumbalem inſerebatur. Porro inconſtans eſt numerus radicum, quæ â quarto pari nervorum lumbalium ad formationem nervi cruralis interni emittuntur; variat æque locus, unde hæ radices exeunt. Unicum duntaxat faſciculum (321) ad latus juxta anſam communicationis ex quarto pari prodire vidi; alia vice obſervavi, faſciculum (322) mox prope anſam communicationis alterum, alterum autem duplici origine in vicinia plexus enaſci. Vidi etiam tria filamenta (323) prope plexum â quarto pari, & plura item minora (324) ex ipſo plexu lumbali egredi. — Tribus vicibus obſervavi unicum filamentum (325) cum quarta anſa communicationis conjunctum, tunc præſertim, ſi faſciculus ad nervum cruralem interiorem pertinens, prope anſam communicationis oriebatur. Hæc eſt plerumque originis hujus nervi ratio; nil in eo conſtans eſt, præterquam: I) quod hicce nervus, quantum nempe primam radicem ad originem usque proſequi licet, â ſecundo quidem, & tertio & quarto pari lumborum primordia tantum conſpicua capiat; cum autem prima radix ex ſecunda anſa communicationis in eo ipſo loco prodeat, ubi hæc cum primo pari jamjam permixta eſt, nullus dubito, nervum cruralem interiorem ex filamentis omnium quatuor parium componi, primo licet intuitu â tribus tantum paribus aperte prodire videatur; II) quod radices, â ſecundo & tertio pari enatæ, ex anſis communicantibus perpetuo exeant; III) quod id genus radices partim inter ſe, partim ſecundam inter & tertiam anſam communicationis, partim etiam cum plexu lumbali (326) concatenatæ ſint, quid! quod ipſe truncus in

(320) Tab. I. Fig. I. E.
(321) Ibi. Fig. I. ζ. & IV. δ.
(322) Ibi. Fig. II. S. S. & III. E. E.
(323) Ibi. Fig. V. δ. δ. δ.
(324) Ibi.
(325) Ibi. Fig. I. II. III.
(326) Ibi. Fig. IV. V.

in decurſu ſuo per pelvim ſub interiori margine musculi magni Pſoæ (327) quasdam ſubeat concatenationes. Atque ex iis, quæ dicta ſunt, concludo, nervum cruralem interiorem quodammodo productum quoque ipſius plexus lumbalis eſſe; etenim ejus filamenta cum filamentis plexus arctiſſime cohærent, & eundem habet cum nervo crurali anteriori, licet limitata quadam ratione, uſum. Quamprimum is nervus, ad latus vaſorum obturatoriorum, ſulcum ramo horizontali oſſis pubis inſculptum attingit, duobus parvis ſurculis (328) ad musculum obturatorem externum & internum demiſſis, mox dein in tres dehiſcit ramos. Ramus *interior* (329) inter adductorem longum & brevem (330) decurrit, & in duos ſurculos partitur, quorum *internus* (331) ad musculum adductorem longum, *externus* autem ad musculum gracilem internum (332) migrat. *Medius* ramus inter musculum adductorem brevem & magnum (333) inſeritur, & ad flexuram genu usque decurrit. Ramus *exterior* (334) ſub musculo pectineo ſuper adductorem brevem decurrit, & tandem in adductore magno evaneſcit. Hic ramus plurimum musculo pectineo dicatus eſt, ſi nempe *acceſſorius nervi cruralis interioris*, quem mox deſcribemus, deeſt, aut nimis debilis adeſt. Cæterum, cum partim diſtributio hujus nervi inconſtans ſit, partim originem tantum hujus nervi definire mihi propoſuerim, ea, quæ cl. STYXIUS (335) nec non cl. FISCHERUS de illius decurſu & ramificatione tradidêre, mihi impræſentiarum ſufficiunt.

§. XL.

(327) Tab. III. 70. H.
(328) Tab. II. 70. 70.
(329) Ibi. 71.
(330) Ibi. W. W. Y. Y.
(331) Ibi. 74.
(332) Ibi. 75. X.
(333) Ibi. 72. Y. Z.
(334) Ibi. 79.
(335) L. c. §. 17. 18. 19. 20. Pag. 23. 24. 25.

§. XL.

Nervus ad obturatorem acceſſorius, inconſtans.

Antequam anatomicæ parti hujus diſſertationis finem impono, *nervus quidam*, *hucusque nemini notus*, adhuc deſcribendus ſupereſt. Non ita perpetuus equidem eſt, ac nervus cruralis anterior, attamen fere æque conſtans, ac ille â WINSLOVIO abs jure vocatus *acceſſorius nervi cruralis*; ſubinde utique abſconditus eſt, & puſillus. Verum anatomici origines & decurſum ſane minoris momenti nervorum indagarunt, atque deſcriptitarunt. Reperi hunc nervum in novem circiter aut decem cadaveribus quater, vel quinquies; & ob ejus ſive cum trunco, ſive cum ramo quodam anaſtomoſin *mihi nervus ad nervum cruralem internum acceſſorius* audit. Aſſervo ex inſtituto ſex ad ſeptem ſpecimina hujus nervi, atque dantur inter illa quædam originem & anaſtomoſin diſtincte exhibentia. — Nervus hic ad nervum cruralem interiorem acceſſorius (336) communem nunquam non originem habet cum nervo ſuo principe: i. e. filamenta â tertia & quarta anſa communicationis nanciſcitur, quæ varias, partim inter ſe invicem (337), partim cum nervo principe (338), partim cum ipſo etiam plexu lumbali concatenationes ſubeunt. Quandoque mox â ſua origine valde craſſus (339) deprehenditur, per magnum ſpatium una cum trunco nervi cruralis interioris decurrit, ſub acuto dein angulo deflectit, & interiorem inferiorem faciem musculi magni Pſoæ attingens, in ipſam nonnunquam ſubſtantiam hujus musculi penetrat, donec tandem ad horizontalis rami oſſis pubis ſuperficiem ſuperiorem pervenerit, ubi plerumque ſub musculo, interdum etiam ex ipſo musculo, paulum egreditur, & in ſuperficie anteriori horizontalis rami in membranam adipoſam volvitur. Partitur modo in duos, modo in tres (340) ſur-

---

(336) Tab. I. Fig. IV. N. V. N. & Tab. II. 76. 76. 76.
(337) Tab. I. Fig. IV.
(338) Ibi. Fig. IV. K. V. K.
(339) Tab. II. 76.
(340) Tab. II. 71. 78. 79.

ſurculos. Surculus *interior* (341) ad ſulcum oſſis pubis & ſubinde intra, alias etiam extra foramen ovale cum trunco ſe ſe conjungit; *medius* ramus (342) verſus corpus oſſis pubis proficiſcitur, & in adipe prope acetabulum ceſſat. Ramus *exterior* (343) attingit musculum pectineum (344), & tribus ſurculis in ſubſtantia hujus musculi conſumitur. Hosce tres ſurculos tunc tantum obſervavi, ſi nervus acceſſorius admodum fortis erat; at ſi is debilior, duos tantum ramos inveni, quorum unus ad nervum cruralem internum principem migrabat, ſe ſe cum illo conjungens, alter autem in tela adipoſa articuli terminabatur. Nervum iſtum tunc plerumque vidi, ſi ipſe truncus, juſto minor, durante decurſu cum plexu lumbali angulum acutum efficiebat. Si adeſt, conſtans illius cum trunco principe anaſtomoſis obſervatur, atque hinc pro *acceſſorio interioris nervi cruralis* merito habendus eſt.

§. XLI.

Cur nullus de plexubus nervorum hypotheſi hic locus ſit?

Poſſem equidem hic tam de gangliis, quam de plexubus nervorum in genere, & de plexu lumbali ſpeciatim, phyſiologicas quasdam animadverſiones adjicere, & in tanto hypotheſium numero forſan his quoque locus eſſet. At nolo venari hypotheſes, ê quibus neque tenuiſſimus veritatis radius reſplendet, quæve nullam in ulteriori indagatione ſecuram mihi viam monſtrant. Porro cum exiſtimem, nobis plurimum adhuc in comparanda phyſica cerebri & nervorum ſcientia adlaborandum eſſe, ut poſteri ex relictis â nobis fragmentis metaphyſicum cerebri & nervorum ſyſtema condere queant: ſufficit mihi inpræſentiarum, quasdam tantum in fine hujus diſſertationis annotationes addere, quæ mediate quidem ad phyſiologum pertinent, quatenus is ad expli-

(341) Tab. II. 77.
(342) Ibi. 78.
(343) Ibi. 79.
(344) Ibi. Δ. Δ.

explicanda quædam phænomena œconomiæ animalis factis ex pathologia traductis utitur, sed pathologo respectu semiotices, & rationali clinico majorem utilitatem immediate præstant.

§. XLII.

Quædam animadversiones practicæ.

Hæ autem animadversiones, quasdam si excipias, propriis nituntur clinicis observationibus, & ad sequentia chirurgiæ capita pertinent: 1) *Symptomata fracturas corporum & processuum transversorum vertebrarum lumborum subsequentia.* 2. *Paralysis extremitatum inferiorum á carie vertebrarum in infantibus rachiticis.* 3) *Hemiplegia.* 4) *Atrophia extremitatum inferiorum á materia arthritica.* 5) *Phœnomena in herniarum incarceratione spasmodica.* 6) *Phœnomena consensus in gravidis, in hydrocele, in sarcocele, in calculis ureterum, & vesicæ.* 7) *Cautelæ practicæ in celotomia, & hydrocelotomia ratione subsecuturæ inflamationis & suppurationis secundum regionem inguinalem sursum versus supra cristam ossis ilium.* 8) *Cautelæ practicæ ratione abscessuum sub fascia lata.* — Omnia phænomena, quæ diversarum partium sympathiæ debentur, hic explicare conabor, & ad nervos, quorum anatomen in hac dissertatione descripsi, lectorem remittam; methodi quoque medendi, quam in his morbis adhibui, ex origine & decursu horum nervorum rationem reddam. Nisi metuerem, ne mea hæc dissertatio justos limites excederet, tum meas, tum aliorum observationes fusius potuissem enarrare: sed breviter nunc hæc consectaria exposuisse mihi sufficiat. Optarem, ut hoc meo labore excitati tyrones medicinæ & chirurgiæ impensiorem, ac nunc in scholis mos est, operam anatomiæ practicæ navarent. Medicus enim & chirurgus, cujus physiologica & pathologica scientia firmis doctrinæ anatomicæ fundamentis nititur, in complicatissimis etiam morbis securo incessu ad ægros accedit, phænomenorum & symptomatum rationem sibi explicat, atque illis tanquam signis utitur; dum intera medicus in geographia microcosmi peregrinus sylvam præ arboribus prætervidet.

videt. Et quomodo, accurata morbi diagnosi destituti, justam morbo medelam faciamus?

§. XLIII.

Animadversiones in symptomata fracturas vertebrarum subsequentia.

In Juvene viginti annorum post gravem lapsum in dorsum, ea, quæ sequuntur, symptomata observavi. Æger neque pedibus insistere, neque artus inferiores movere poterat. Femur ad femur adductum protinus extrorsum recidebat. Sensilitas dextri femoris, prima â lapsu hora, omnis deleta. Quadraginta quatuor â læsione horis calor in dextro femore exstinctus, in sinistro imminutus. Scrotum laxum & pendulum. A primo læsionis momento lotii & alvi suppressio. Urina, parca tantum copia cathetere, & versus vitæ finem ad unciam dimidiam tantum educta. Clysterum & purgantium per sex dies nulla in canalem intestinorum potestas. Regio hypogastrica ob vesicam scilicet urina distentam intumens. Quinta morbi die ingens œdematosus tumor artus inferiores, imprimis femur dextrum, & nates quoque, dextri præsertim lateris, occupans. Repente alvus solvebatur; dejectiones copiosæ, fœtidæ, involuntariæ, ægro tamen sibi conscio. Septima morbi die protinus sphacelus nates absque dolore exedens; hinc pars exterioris superficiei ossis ilium & sacri, tres intra dies, prorsus denudata. Infuso arnicæ propinato, & emplastro vesicante lumbis in utroque latere imposito, septimo die calor & sensilitas in extermitatibus inferioribus aliquo modo rediit, œdema paulisper subsedit, atque motrix etiam facultas rediisse videbatur. Octava primum die æger de vehementi thoracis dolore in dextro latere conquerebatur, ad mortem usque continuo. Pulsus constanter idem, post lapsum & ad vitæ finem usque parvus & rarus. Decima die meteorismus. Duodecima post læsionem mors. — Secto cadavere corpus primæ vertebræ lumborum ita compressum reperi, ut superior ambitus eminens ALBINI unica tantum linea ab inferiori ambitu distaret, ita quidem, ut decurrens ad latus corporis vertebræ nervus sympathicus magnus inter utrumque ambitum coarctaretur. Corpus autem vertebræ ab anteriori facie ad posteriorem versus adeo introtru-

sum

ſum erat, ut in poſteriori facie eminentia quædam, cavum vertebrarum anguſtans atque medullam ſpinalem comprimens, enaſceretur. Dextri inſuper proceſſus transverſi primæ & ſecundæ vertebræ lumborum fracti erant; hanc ob rem ab impulſis fractorum proceſſuum extremitatibus prima & etiam ſecunda anſa communicationis nervorum lumbalium ex ſitu naturali protrudebantur. Extravaſatus ſanguis in hac regione abdominis pauxillulus. Ventriculus & inteſtina mirum in modum expanſa, ita ut illorum diameter naturalem magnitudinem alterum tantum excederet. Membranæ ventriculi & inteſtinorum adeo quaſi decompoſitæ, ut tunicæ inteſtinorum tenuium volvam duarum, illæ autem craſſorum volvam trium linearum exhiberent. Totus tubus inteſtinalis aere diſtentus, nullo autem modo inflammatus. Hepar & lien inſolitæ magnitudinis, ſanguine grumoſo turgebant. Veſicula fellea ingenti magnitudine & volvuloſa membranarum craſſitie; tamen flaccida & pauca bile repleta. Glandulæ lymphaticæ abdominis & extremitatum inferiorum tumentes & turgentes. Renes tumidi, & diametri pollicaris ureteres. Veſica urinaria flaccida, duas circiter uncias lotii continens, in tantum tamen volvuloſum volumen diſtenta, ut in regionem usque umbilicalem aſcenderet. Paries anterior & poſterior ſibi mutuo incumbentes; levis inflammatio in facie veſicæ anteriori. Urachus impervius. — Thorax plane illæſus — Encephalos incolumis. — Quicunque ad anatomicam noſtri commentarii partem reſpicit, is & ſymptomata ad cauſas ſuas reducere, & ſtatum præternaturalem viſcerum non explicare non poteſt. Extiſpicium docuit, & medullam ſpinalem ab intropreſſa poſteriori ſuperficie corporis primæ vertebræ lumborum compreſſam, & nervum ſympathicum magnum coarctatum, & primam ſecundamque anſam communicationis intruſam fuiſſe, & læſam: inde ſuppreſſa penitus vis nervea omnium illarum partium, quæ truncos & ramos nerveos â lumbalibus atque ſacralibus nanciſcuntur; inde impedita etiam actio nervorum in diſſitis, quæ energiam nerveam partim nervo ſympathico magno debent, corporis partibus. Et nervi lumbales, & ſacrales, & nervus ſympathicus magnus omnium primo afficiebantur. Ex iis, quæ reſpectu medullæ ſpinalis (§. VII. & §. §. ſequentibus) de origine & decurſu nervorum ſpinalium dicta ſunt, ratio patet, cur extremitates inferiores in utroque latere mox motum amiſerint, & ſenſum; cur pedetentim calor animalis exſtingueretur; unde illud ingens

artuum

artuum œdema, illaque in natibus ſine ullo doloris ſenſu corruptio ſphaceloſa. Compreſſio primæ & ſecundæ anſæ communicationis, â fractis proceſſubus transverſis dexteri lateris orta, præprimis cauſa fuit, cur dextrum femur univerſim magis affectum, cur cuncta ſymptomata in dextro latere vehementiora fuerint. Noſcimus â poſteriori, ut ajunt, materiæ nerveæ vim in ſyſtema vaſorum & ſanguinis circuitum; quam ob rem natura ſapienter inſtituit, ut nervi perpetuo prope arterias decurrant, & maximi plexus nervorum in vicinia arteriarum abdominis formentur. Noſcimus inſuper, quam arcte nervus ſympathicus minor, ſeu ſplanchnicus, â quo omnes plexus nervorum abdominis plus minusve participant, cum nervo ſympathico magno cohæreat; conſtat porro, plexum hypogaſtricum maxima ex parte â nervo ſympathico magno formari, & hunc ipſum tanto imperio præditum nervum tot nervos acceſſorios (uti §. §. IX. X. XI. XII. demonſtravimus) â nervis lumbalibus nanciſci. Ex his omnibus facile intelligitur, cur omnia viſcera abdominis, præcipue autem veſica urinaria, paralyſi affecta; cur ſenſim intra ſpatium duodecim dierum omnis tonus amiſſus, omnis functio emortua; cur omnis fere fibra, cur quævis pene lamella ab altera diſceſſerit. Nervi nimirum haud amplius debita energia in ſyſtema ſanguiferum & lymphaticum agebant; hinc languidior pedetentim circulatio; imminutus calor animalis; ſecretiones & excretiones rariores, aut omnino ſuppreſſæ. — Colluvies aquoſa in abdomine, intumeſcentes glandulæ lymphaticæ, & œdematoſus artuum tumor, evidenter demonſtrant, quantum vires ſyſtematis lymphatici reſorbentes ab incolumi vi nervea dependeant. Quod autem circa finem ſenſus & calor aliquantum reviviſcerent, atque ipſum etiam ingens œdema parum imminueretur, excitanti methodo medendi, Arnicæ, & veſicantibus, adſcribi debere exiſtimo. — Dolor ille, dextrum thoracem excrucians, & ad mortem usque continuus, cum neque continentes, neque contentæ partes thoracis ullam læſionem paſſæ ſint, probabilius â læſo nervo ſympathico magno explicandus eſt.

§. XLIV.

§. XLIV.

Animadverſiones in paralyſin extremitatum â Carie vertebrarum.

Humanum genus atque ars ſalutaris noſtra cl. viris CAMERON, JEFFRYS, & POTTIO præſens remedium contra paralyſes extremitatum inferiorum in ſpinæ dorſi incurvatione, in acceptis referunt, ulcera ſcilicet artificialia in dorſo ad utrumque latus proceſſuum ſpinoſorum excitata. POTTIUS, cui in dignoſcenda hujus morbi natura adhuc plurimum debemus, â carie vertebrarum, (aut potius â cauſa cariei) paralyſin extremitatum inferiorum induci docet, illæſa tamen medulla ſpinali; atque aſſerit, ſubſequam ſenſim ſpinæ dorſi incurvationem ejusdem cauſæ, cariei ſcilicet, effectum eſſe, atque hinc cyphoſim nec minimam in paralyſi artuum inferiorum inducenda poteſtatem exſerere. Cauſam autem cariei miasmati ſcrofuloſo tribuit, & ſalutares effectus ulcerum artificialium prope ſedem morbi excitatorum, ſuppurationi adſcribit. Id autem in POTTII obſervationibus, mea equidem opinione, prorſus ſingulare eſt, affici nempe extremitates ſemper inferiores, nunquam autem ſuperiores, licet morbus in vertebris dorſi aut colli ſedem fixerit. — Integra, & æque completa diſſertatio mihi ſcribenda eſſet, ſi quasdam POTTII propoſitiones de ſede, cauſa, & effectu hujus morbi, de quarum veritate haud absque ratione dubito, frangere vellem. Equidem non inficior ullum phænomenon, quod magnus iſte vir in morbi decurſu, aut poſt mortem obſervavit, neque ſalutares medelæ effectus, quos propria experientia confirmatos vidi. Sed phænomenorum in hoc morbo rationem, & remedii vires alio modo explicarem. At primum phænomena, quorum maximam partem ipſe POTTIUS recenſet, ratiocinio ſubjiciamus. Impotentia extremitates inferiores movendi *ſenſim* oritur, prouti *ſenſim* quoque ſpina dorſi incurvatur; muſculi robur ſuum amittunt, & rigeſcunt ſpasmodice ſic, ut ſpasmo tonico membrum afficiatur. Sed antequam id accidit, infantes minus alacres ſunt, ad levem motum laſſitudine laborant, aſſiduo titubant, crura involuntarie decuſſant, & ſæpe repente concidunt; de doloribus crurum conqueruntur. — Quodſi collum incurvatur, caput, quod infans ſuſtinere non valet, ad pectus prolabitur. — Si dorſum ſinuatur in arcus, generaliora ſymptomata incidunt:

dunt: appetitus proſtratus; tuſſis ſicca, moleſta; reſpiratio difficilis; pulſus celer; propenſio in atrophiam; oppreſſionis & doloris ſenſus in ventriculo; verbo: omnia, quæ â læſa organorum digeſtionis functione oriri ſolent, ſymptomata. — Quodſi vero dorſum in regione vertebrarum lumborum curvatur, involuntaria alvi & urinæ excretio ſequitur, (uti ex obſervatione quadam nuperiori quoque conſtat, quam cel. FERRO una cum raro ſpecimine pathologico *Academiæ Joſephinæ* transmiſit), aſcitis tandem & tympanitis cum paralyſi extremitatum inferiorum accedit, & æger moritur. — Num ullum hic dubium ſupereſt, hæc ſymptomata â turbata vi nervea potiſſimum oriri? — Sane non intelligo, quomodo extremitates ſuperiores intactæ maneant, ſi POTTII aſſertum, extremitates ſolummodo inferiores ſemper affici, verum eſſet. At FORD & PARKE jam obſervarunt, modo ſuperiores & inferiores ſimul, in hanc paralyſeos ſpeciem incidere. Si conſideremus, in hoc morbo ſubſtantiam ſuccoſo-ſpongioſam corporum vertebrarum ſemper ab anteriori parte retrorſum carie tentari, atque ſuperius incumbentia corpora vertebrarum eadem ratione, qua inferiora deſtruuntur, deſcendere: profecto modum, quo curvatura oritur, utique perſpicimus. Sed medullam ſpinalem hac curvatura omnino non comprimi, id equidem admodum improbabile videtur. Comparatio enim, quam POTTIUS, ut aſſertum ſuum demonſtret, cum corpore gibboſo inſtituit, hic non quadrat, cum res in binis his corporibus diverſis diverſimode ſe habeat. Etiamſi vero hanc analogiam adæquatam eſſe concedamus: num medulla ſpinalis in ſpecu adeo anguloſo, inæquali, gibboſo haud irritari debet? utrum poſſibile eſt, quoddam corpus vetebrarum, præſertim lumborum, carie ita deſtrui, ut nervus ſympathicus magnus incolumis remanere poſſit? an generatim tam humida oſſis corruptio in hac regione ſubeſſe poteſt, quin vicini nervi ab ichore afficiantur? an unquam talis æger, ſi certis ſignis veram cariem corporum vertebrarum adeſſe conſtiterit, ſanatus eſt? Anne ſuccoſo-ſpongioſa corpora vertebrarum eodem modo â rachitica aut ſcrofuloſa materie intumeſcere poſſunt, quo id in ſiccioribus minusque ſpongioſis extremis oſſium artuum fieri ſæpiſſime obſervamus? Si hoc contingere poteſt: an non lenior, per gradus increſcens, preſſio medullæ ſpinalis & nervi ſympathici magni debilitatem extremitatum, & diverſa alia ſymptomata inducere poterit, priusquam adhuc curvatura ſpinæ

dorſi in ſenſus ruat, præſertim, cum ipſe POTTIUS hanc extremitatum debilitatem ante manifeſtam ſpinæ dorſi incurvationem obſervaverit? — Anne forſan in hac ſolum morbi periodo artificialia in dorſo ulcera utilitatem præſtant? Quomodo enim âb ulcere in dorſi ſuperficie arte facto ſanatio cariei, quæ altius ſitas vertebras exedit, expectanda? Quisnam animadvertit, ulceribus prope ſedem cariei arte alibi excitatis cariem ipſam & in alia quacunque parte ſanari poſſe? Numquando vaſa lymphatica materiem oſſeam carie diſſolutam, una cum materia morboſa & reſorbent, & in ulcera hæc artificialia recta transmittunt, & evacuant? annon vaſa lymphatica in vicinia vertebrarum alium prorſus, quantum jam ſcimus, decurſum habent? — In his, & pluribus omiſſis quæſtionibus, quas hic adhuc movere potuiſſem, mea contra POTTII de ſede, effectu, & curatione hujus morbi ſententiam, dubia continentur. Quidquid de hac re intelligo, huc redit. I) Materia ſcrofuloſa aut rachitica, aut alius humor morboſus, in infantibus præcipue, ac in adultis etiam, prægreſſa præſertim extrinſecus admota violentia, ad corpora vertebrarum deponi poteſt, unde illorum & intumeſcentia, & caries, & deſtructio, & vera denique curvatura in regione violata ſpinæ dorſi. II) Impotentia, extremitates aut ſuperiores, aut inferiores, aut utrasque movendi, ſenſim oborta, regioni læſarum vertebrarum, & rationi, qua læſæ ſunt, exacte ſemper reſpondet. III) Hæc impotentia una cum ſupra memorata ſyndrome ſymptomatum partim â compreſſione, partim âb irritatione medullæ ſpinalis & nervorum ſpinalium inducitur; unde debilitas, atrophia cum ſtatu ſpasmodico. — Vim autem nerveam potiſſimum affici, ex ſede & effectibus morbi eluceſcit. Attamen ſalutares ulcerum artificialium effectus â *poſteriori* ex immediata potius illorum in materiam nerveam prope originem actione, quam ex ſuppuratione ſolum explicandos eſſe cenſeo. Quodſi enim phænomena, in memorato §. XLIII. caſu, poſt fracturam corporis vertebrarum lumbalium & duorum proceſſuum transverſorum obſervata, cum ſymptomatibus in paralyſi, de qua hic ſermo eſt, ſubſequentibus comparemus, magna jam inter utraque ſimilitudo apparet. At ſi ad neurologiam, præſertim ad nervi ſympathici magni formationem, reſpiciamus, & ad vaſtum illius cum nervis abdominis commercium; porro ſi originis rationem plexus brachialis ex nervis cervicalibus dorſalibusque, & plexus noſtri lumbalis ex

nervis

nervis lumbalibus, & ischiadici ex nervis sacralibus haud obliviscamur, simulque consideremus, nervum sympathicum magnum omnibus hisce nervorum paribus ope nervorum accessoriorum non tantum mediate, sed immediate conjungi: facile, uti ego quidem existimo, intelligitur, seu ab intumescentia, seu â carie, seu â destructione alia quacunque corporum vertebrarum non tantum colli, viscerumque pectoris & abdominis functiones turbari, sed & paralyses extremitatum inferiorum superiorumque pro re nata sequi debere. Ex observationibus clinicis constat, in fœminis hystericis sæpe *tremorem & rigorem pedum* oriri, si intestina ab aëribus sordibusque, præcipue in regione plexus meseraici inferioris irritantur, etiamsi stimulus per remotiores ibi surculos nervi sympathici magni mediate tantum ad nervos lumbales propagetur, & ad sacrales nervos. Experientia quoque docet, in colica pictonum perfectas paralyses cum subsequa extremitatum superiorum inferiorumque atrophia oriri, licet æque materies nervea in longiori â medulla spinali distantia, in plexubus scilicet nervorum abdominis, afficiatur: quanto clarius nunc intelligitur, paralysin artuum inductam â quadam materia morbifica, quæ ad corpora ipsa vertebrarum prope originem nervorum spinalium, propeque decursum trunci sympathici magni deponitur, rapidius oriri, evidentioribus symptomatibus stipari, ac inde functiones omnium viscerum plus minusve lædi debere, prouti truncus nimirum princeps nervi sympathici magni, sive in colli, sive in dorsi, sive in lumborum regione plus minusve afficitur. Ex his igitur observationibus mihi persuasum habeo, ab ulceribus, in utroque latere processuum spinosorum, regioni læsæ ex adverso, caustico excitatis, salutares effectus exspectari tunc utique posse: si causa morbifica (materies rachitica aut scrofulosa) insignem nondum destructionem induxerit; si caries adhuc aut nulla, aut inchoans saltem; si succoso-spongiosa corpora vertebrarum materia morbifica quasi tantum turgeant; sane non item tunc, si malum profundiores jam egerit radices. Sed an sola suppuratio salutares hos effectus producat, valde dubito, & quidem ob rationes supra allegatas. Stimulus enim ulcerum artificialium per proximos nervos immediate in medullam spinalem originemque nervorum agens, profecto plus ad medelam confert, quam mera plaga pure stillans; præprimis cum incertum adhuc sit, an non æque boni ac pravi humores, sic bona mixta malis, effundantur,

 dum

dum natura humores haud ipſamet colavit. Explicando huic ſtimulo paragraphus octavus inſervit, in quo origo & decurſus truncorum nerveorum poſteriorum ſat fuſe exponuntur. Plures rami prope proceſſus ſpinoſos recta in cute terminantur, in eo ipſo itaque loco, ubi ulcera arte excitantur. Truncus hujus nervi orditur ſolitarius mox ſub ganglio ſpinali nervorum lumbalium. Et profecto non datur ſtimulus artificialis, qui, per radices poſteriores nervorum ſpinalium in medullam ſpinalem agendo, breviori via transmitti poteſt, cum & alioqui ganglia propagationi impreſſionum, uti nunc conſtat, haud obſtent. Accedit, radices & anticas & poſticas nervorum lumbalium ſub gangliis in faſciculum communem concatenari, atque ex facie anteriori ramulos ad nervum ſympathicum magnum acceſſorios diffundi (Vid. §. 9. 10. 11. 12.). Atque inde nervum ſympathicum magnum ſtimuli ulcerum participem fieri, inficias nullus ibit anatomicus, ita quidem, ut (ſi quis theſin: *ſtimulum ad medullam ſpinalem propagari*, etiam frangeret) ſane omnes tamen ê faſciculo communi infra ganglion enati tam nervi ſimpliciores, quam ipſe plexus lumbalis & ſacralis, hujus ſtimuli vim æque perciperent, ac remotiores plexus nervorum abdominis. Id genus nervi in collo ac dorſo quoque â nervis ſpinalibus retrorſum in cutem migrat. Stimulus itaque artificialis pro re nata aut in collo, aut in dorſo, aut in lumbis ope ulcerum ita admotus, ut recta via in originem nervorum ſpinalium reagat, ſolus ad reſuſcitandam vim nerveam ſufficere videtur. Omnes ſequelæ hujus morbi, uti ſupra memoravimus, aut ab imminuta, aut â ſuppreſſa energia nervea oriuntur; hinc omnes functiones œconomiæ animalis plus minusve â nervis medullæ ſpinalis, & ab illorum energia pendentes utique debent quieſcere. Attamen haud improbabile videtur, dari *primitivos* & *conſecutivos* hujus ſtimuli effectus: illæ nimirum partes, quæ nervos recta â medulla ſpinali obtinent, e. g. artus & inferiores & ſuperiores, citius efficaciusque ſalubres ſtimuli vires experiuntur, tardius contra illæ, quæ cum nervis ſpinalibus ope nonnullorum ramorum anaſtomoticorum & quidem nervi ſympathici magni interceſſione commercium longinquius habent, uti e. g. viſcera thoracis & abdominis. Hinc etiam POTTIUS omnium primus obſervavit, paralyſin extremitatum inferiorum quandoque imminutam, imo etiam ſanatam fuiſſe, reliqua tamen ſyndrome ſymptomatum, morboque ipſo in eodem ſtatu

ſuper-

superstite. Ulceribus enim cicatrice obductis, paralysis redibat. Sed cicatrice refricata, novisque ulceribus, etiam ægro jam sanato, per aliquod temporis spatium manantibus, sanitas perstitit. — Dependet itaque â consecutivis stimuli effectibus perennitas salutis. Quamvis enim stimulus artificialis, utpote ope ramulorum tantum anastomoticorum, per nervum sympathicum magnum in viscera pectoris & abdominis mediate atque serius agat, exserit tamen eo certius salutares suos effectus; quid! quod vero simillimum est, diuturnam applicati hujus per larga ulcera stimuli actionem requiri, ut vis nervea prope originem iterum iterumque excitetur, sic ut omnes ab illa pendentes variæ variorum viscerum functiones cum duratione quadam expediantur. Etenim omnium primo atonia & viscerum pectoris abdominisque & vasorum sanguiferorum & lymphaticorum tolli debet, antequam ille salutaris naturæ motus, quo omnes ex atonia illarum partium oriundæ sequelæ, omniaque inde nata symptomata radicitus sanantur, locum habere possit. Restituto enim tantum, excitata nervorum energia violatorum digestioni, chylificationi, & sanguificationi famulantium organorum robore, vividiori sanguinis circuitu, calore animali justo gradu latiusque diffuso, atque expeditis ubique organorum excernentium, & systematis lymphatici functionibus, materiam rachiticam aut scrofulosam tandem subigi posse, facile intelligimus. Atque inde etiam intelligi potest, quomodo cum paralysi reliqua quoque symptomata cedant; quomodo & materies in corpora vertebrarum deposita, illa distendens, imo corrodens, & corrosa solutaque substantia ossea absque manifesta exfoliatione per vasa lymphatica in communem humorum massam deferatur, atque ex illa per varia colatoria denuo ex corpore eliminetur. Hacce ratione suppuratio horum ulcerum utique nova via est, ad evacuandas eo citius nocivas materias arte parata. Id quoque nunc intelligo, quomodo proserpenti vertebrarum cariei limites ponendi sint, quomodo nova materia ossea produci possit, quæ vacuum spatium non tantum implet, sed & subinde duo corpora vertebrarum ita invicem ferruminat, ut sanatione etiam ad finem perducta per totum vitæ tempus curvatura spinæ dorsi superstes sit. Intelligo tandem, quomodo tunc demum redeuns paralysis haud amplius metuenda sit, cum morbus diuturna stimuli actione radicitus sanatus fuerit. — An non durante ulcerum artificialium actione motus subinde febriles observantur? — An non

ægro

ægro ſanato, & viribus fere reſtitutis, febris quædam depuratoria oritur? Duæ profecto quæſtiones, quæ ſolertiori obſervatione decurſus hujus morbi diſcutiendæ ſunt, cum obſervatores hucusque nullam de ea re mentionem fecerint. Serior denique ætas docebit, ſi forte ejusmodi ſtimulis ope ulcerum artificialium proxime origini nervorum admotis, alios quoque morbos certius perſanare liceat. Phœnomena quædam in hemiplegia, & atrophia extremitatum inferiorum obſervata recenſebo. Forſan ſymbolum meum confero, ut antiqua etiam veritas ſæpius, quam fieri ſolet, perpendatur. Id certe noſtra ætate deſideratur, & opportuno tempore; nonnulli enim auctoritati ſuæ nimium fidentes moliuntur nobis perſuadere, anatomes ſtudium inanem prorſus otioſorum hominum luſum eſſe. *Si quis*, ait GALENUS a) *ex anatome, ad quam partem deſcendant, ſinguli nervi a medulla ſpinali prodeuntes, cognoverit, affectas ſedes quam facillime inveniet; nam crura & manus temere & fruſtra multi medici tota die noctequе calefacientibus remediis perfricant, negligentes locum, ubi ſpinalis medulla, vel nervus aliquis ex ipſis egrediens læditur.*

§. XLV.

Animadverſio in hemiplegiam.

Perfectam hemiplegiam in milite die 6ta. Nov. 1790. obortam cl. D. TROCKENBRODT, (chirurgus primarius legionis pedeſtris de *Thurn*,) emplaſtro veſicante per extenſionem ſpinæ dorſi à vertebris cervicalibus ad os ſacrum usque applicato, perfecte ſanavit. Motus & ſenſus omnis in artubus ſuperioribus inferioribusque abolitus erat. Alvus & urina ſuppreſſa, ita ut hanc cathetere, illam enematibus educere oporteret. Ex hiſtoria morbi mihi oblata conſtat, omnia remedia nervos excitantia, quorum ingens copia in pharmacopoliis noſtris proſtat, abunde, ſed incaſſum tentata fuiſſe. Veſicantia

a) Galen. de loc. affect. lib. IV. cap. VII.

tia ſola, clauſis ulceribus iterum iterumque ſuperpoſita, id efficiebant, ut æger poſt tres ſeptimanas munere belli denuo fungi poterit. Attenta hujus caſus conſideratione hemiplegiæ ſanatio ex ſtimulo, truncis nerveis poſticis nervorum ſpinalium admoto, quam facillime intelligitur,

§. XLVI.

Animadverſio in atrophiam â materie arthritica.

Miles quidam â longo tempore arthritide laborabat, & materies arthritica in metatarſo articuloque pedis ita ſedem fixerat, ut omnibus remediis, quæ experientia comprobata habentur, per duos menſes â me irrito tentatis omni ſpe carerem, fore, ut materies ex hoc loco commoveretur. Æger pedi inſiſtere non potis erat, atque femur de die in diem evidentius contabeſcebat ſic, ut fere dimidiam partem ſano femore magis eſſet extenuatum. Omnibus itaque remediis fruſtra adhibitis, ad latus proceſſuum ſpinalium vertebrarum lumborum cauterium actuale impoſui, cruſta tantum ſuperficiali inuſta. Vix elapſis 6 - aut 7 diebus, materies arthritica, antiqua ſua ſede relicta, ad genu migravit; nihilominus æger in affecto membro majus robur perſenſit, atque ſenſim ſenſimque ambulare poterat. Ab hoc tempore materies arthritica ſæpius ſedem mutabat, modo pedem extremum, modo genu infeſtans. Cum res hucusque bene ceſſerit, ægrum thermas Badenſes adire juſſi, unde perfecte ſanatus rediit.

§. XLVII.

Animadverſiones in hernias incarceratas â ſpasmo.

Cel. RICHTER propriis aliorumque virorum obſervationibus innixus ſtatuit, dari quoddam genus ſpasmodicum herniæ incarceratæ. Et profecto quilibet in praxi verſatus, occaſione ægros tales attente obſervandi oblata, veritatem hujus aſſerti perſpicere facile poteſt. Characteres æque, ac cura hujus mali in præclaro opere cel. RICHTERI de herniis fuſius, ac uberius expo-

exponuntur. Remedia antiſpasmodica, interna & externa egregiam opem ferunt, inter quæ opii uſus, cataplasmata & fomenta emollientia abdomini impoſita primum locum tenent. *Sed qualem indolem, & in quo loco ſedem habeat hic ſpasmus incarcerationem producens:* cel. RICHTER hic non disquirit; autumat tamen, illum potiſſimum in muſculis abdominis reſidere. *Atque ita ſe res utique habet.* Omnes videlicet muſculi abdominales ſurculos ſuos nerveos, uti ſupra §. VIII. fuſius demonſtravi, â truncis poſterioribus quinque parium nervorum lumbalium nanciſcuntur. Singuli rami unum muſculum abdominis poſt alterum ſerpentino ductu perrepunt, donec tandem antrorſum in cute terminantur. Ipſe *N. ilio-hypogaſtricus* (§. XXI.), nec non *N. ilio-inguinalis* (§. XXII.) inter muſculos abdominis extrorſum decurrunt, imò aliqui ejus ſurculi prope annulum abdominalem inſeruntur. Si itaque ad nervorum doctrinam reſpicientes modum varium, quo varii plexus viſcerum abdominalium conſtruuntur, illorumque cum nervo ſympathico commercium, nec non ſurculos â nervis lumbalibus ad nervum ſympathicum acceſſorios acri & intento animo intueamur, facile inde explicamus, quomodo e. g. ſtimulus in viſcera abdominalia agens ad nervos lumbales & inde ad truncos poſteriores, qui muſculis abdominalibus ſurculos ſuos largiuntur, propagari poſſit. In ſpaſticis contractionibus muſculorum abdominalium, ut conſtat, fiſſura tendinea muſculi obliqui majoris abdominis anguſtior redditur; cum autem ſententias eorum, qui ab hac fiſſura tendinea annulum abdominis formari contendunt, haud ſequar; cum â natura edoctus ſim, muſculum etiam obliquum minorem, & transverſum abdominis in illa regione laciniis ſuis tendineis ad annuli formationem aliquid conferre, me haud monente patet, nullam ſpasmodicam contractionem muſculorum abdominis accidere poſſe, quin etiam annulus contractionis effectus particeps fiat; id quod etiam verum eſt, ſi annulo vim duntaxat mortuam elaſticitatis tribuamus, ut eum potius *pati*, quam *agere* dicamus. Effectus ejusmodi anguſtationis annuli facile intelliguntur. Hæc itaque incarcerationis ſpasmodicæ origo eſt. Eodem modo *ventrem* ſic dictum *ligneum* in colica pictonum explicarem. Bis obſervavi, ægros hocce ſymptomate affectos de vehementi teſticulorum dolore conqueſtos fuiſſe. An non probabile eſt, hunc dolorem â funiculi ſpermatici incarceratione, ſpasmodicam nimirum muſculorum abdominis verſus dor-

ſum

ſum retractionem ſubſequa, oriri? — Ex his prone fluit, herniis incarceratis medendi methodum ab experienta comprobatam & â ratione comprobari. Omnia externa remedia, quamvis optima, viſcerum in annulo inguinali contentorum incarcerationem haud poſſunt tollere, quando illa eſt ſpasmi muſculorum abdominalium effectus. Annulus equidem inguinalis, quatenus contractione muſculorum abdominalium conſtringi poteſt, paſſive ſe habet; ſed quatenus contenta viſcera, cum anguſtior evadit, premit, ſtringitque, activa vi utique præditus eſt. Ablato muſculorum ſpasmo tollitur & compreſſio & conſtrictio. Stimulo itaque ſpasmos excitante, interno opii uſu ſedato, & muſculorum fibris ſpasmodice conſtrictis, ope remediorum, quæ fovent, quæ molliunt, & abdomini lumbisque imponi debent, relaxatis & cauſa tollitur, & actio in muſculos deſinit.

§. XLVIII.

Animadverſio in phænomena conſenſus in gravidis, in hydrocele, ſarcocele &c.

Phænomena conſenſus diverſarum partium in gravidis ac in iis, qui calculo renum, ureterum & veſicæ laborant, obſervata CAMPERUS jam antea per rationem propaginis nervorum lumbalium explicavit. Ego animadverti, peculiarem lacerantem, & tractivum dolorem verſus totam regionem anteriorem femoris in ægris, qui ingens hydrocele aut ſarcocele geſtant, integumentis communibus ſcroti ad crepaturam usque tumentibus, & quaſi ſplendidis. Scimus nervum ſpermaticum externum, qui valida hac expanſione valide tendi debet, ex prima & ſecunda ad formationem plexus lumbalis concurrente anſa communicationis oriri, & plerumque cum nervo lumbo-inguinali arctiſſime conjungi; unde origo hujus doloris facile perſpicitur. Hinc quoque explicandus eſt ille inſtinctus corpore antrorſum inclinato incedendi; tenſio enim nervorum, erecto inceſſu aucta, hoc ſtatu imminuitur.

§. XLIX.

Cautelæ practicæ in herniotomia.

Nervum ilio - inguinalem (§. XXII.) & nervum lumbo - inguinalem (§. XXVI.) describendo, monstravi, quomodo ambo nervi inter se conjungantur, ut in scroto quasi insula quædam (Tab. VII. b. b.) formetur. Cum autem surculi horum nervorum in tela adiposa admodum mobiles fluctuent, insula hæc modo ad internam superiorem partem femoris, modo ad regionem pubis trahi potest. Inde cautelæ practicæ eruuntur, chirurgis operationes in scroto instituentibus perquam utiles; nam in herniotomia, in castratione, in hydrocelis operatione hi nervi vulnerari, illorumque anastomoses destrui possunt, quando nimirum insula aut casu hoc loco posita est, aut cute plicata ad regionem scroti trahitur. Non equidem semper funestæ sequelæ inde oriuntur, & fors nunquam, si unicus duntaxat, aut uterque ramus ex toto discindatur; sed nervis his tantum vulneratis, aut partim discissis, aut peracta operatione in vulnere quocunque modo irritatis, utique funestus & fere lethalis eventus sequi solet. Id quod propria observatione comprobare possum. Cl. BOECKING in viro nobili, sano & robusto 65 circiter annos nato, summa cum dexteritate & cautela hydrocelis in dextro latere operationem, me præsente, instituit: res omnis in voto esse videbatur. At protinus insurgunt vehementes dolores, ex vulnere versus abdomen, & præcipue â regione inguinali super os ilium sursum ad regionem versus lumbalem propagati; brevi post inflammatio, & suppuratio, eadem, ac dolor, via incedens. Nullus horum malorum finis, donec tandem â regione inguinali juxta cristæ extensionem ad spinam usque ossis ilium posteriorem superioremque (juxta decursum itaque rami exterioris nervi ilio - inguinalis) profundæ incisiones instituerentur, ut nulla amplius puris scaturigo latitaret, & tensio inæqualis nervorum auferretur; tunc primum sanitas rediit. An non itaque in hac operatione chirurgus cutem â scroto, quantum potest, versus interius superiusque latus femoris amoveri, eamque ab assistente chirurgo manu retineri curet?

§. L.

Animadverſio in læſionem cujusdam partis tendineæ abdominis.

Quodſi pars tendinea muſculi obliqui majoris abdominis operatione quadam chirurgica vulneratur, eadem ſymptomata metuenda ſunt. Inæquales enim tenſiones, læſionem hujus partis tendinoſæ ſubſequentes turbant nervos ibi decurrentes, & nunquam non funeſtas ſequelas inducunt. In herniotomia, ubi fiſſura tendinea muſculi obliqui majoris largiter inſcindi debet, hoc ſymptoma rarius accidit; at in caſtratione utique, ob dilatationem ſuperioris anguli vulneris, hæc fiſſura tendinea cum quibusdam ſurculis nerveis partiatim diſcindi facile poteſt.

§. LI.

Cautelæ practicæ quoad abſceſſus ſub faſcia lata.

Si nervos cutaneos (§. XXVII. usque ad §. XXXII.) deſcriptos in latere anteriori femoris inter laminas faſciæ latæ decurrentes conſideramus, & ea, quæ (§. L.) diximus, ad inæquales horum nervorum in læſionibus faſciæ latæ tenſiones adplicamus, facile inde ſerpentem inflammationem eryſipelatoſam, & ſubſequam pravam ſuppurationem explicare licet. Optimam medendi methodum â natura ipſa, attenta obſervatione, edoctus ſum. Miles rebelli in tibia â materia ſcorbutica carie loborans, curæ meæ traditur. Ut in ejusmodi in hac regione obortis ulceribus ſæpius fieri aſſolet, exfoliatione jam peracta, tumor conſenſualis in magna glandula lymphatica femoris (Tab. III. Q.) inſurgit, inflammatus, & brevi poſt ſuppurans. Repente nimirum huc & illuc in regione interiori femoris ſepticæ inflammationes apparent, quæ protinus in putridam ſuppurationem tranſeunt, ita ut quaſi laciniæ cutis abſcedant, ſuperſtite tamen, licet degenerata, faſcia lata. Inter laminam externam & internam faſciæ femoris, imo ſub ipſa interna lamina muſculis anterioris lateris femoris ſuperſtrata, tabus cauſticus hæret, faſciam

latam, telamque cellulofam in interftitiis mufculorum ita exedens, ut carnes, quafi ad demonftrationem anatomicam præparatæ, confpicerentur. Remotis illis emortuis laciniis degeneratio nihilominus latius ferpit fic, ut totum interius latus femoris ab inguine usque ad genu feptica hac inflammatione devaftetur. Quæ cum ita fuerint, obfervavi, naturam hinc inde tamen progredientem cutis corruptionem tortuofo quafi aggere inflammatorio limitare. Ubicunque talis agger inflammatorius apparuit, ibi corruptio gradum fiftebat. Obfervationem hanc amiciffimo BOECKING retuli. Ille fe experientia edoctum effe afferebat, in ejusmodi circa fafciam latam fuppurationibus, præfertim in locis, ubi nullum adhuc inflammationis veftigium comparet, tales tortuofas easque profundas incifiones per fafciam latam ad mufculos usque faciendas effe, alias enim inflammationem ulterius femper progredi. Cum autem jam totum internum latus femoris, uti dictum eft, â fafcia lata denudatum, & anterius latus femoris âb inguine usque ad genu illa inflammatione eryfipelacea correptum effet, fanam adhuc cutem una cum fafcia lata ad naturæ ductum, & amici confilium experientia comprobatum, multis ac profundis tortuofis incifionibus, â genu ad nates usque pergendo, difcindere ftatui, vifurus, quid boni inde eveniat. Ultra fpem meam res ceffit. In iis enim locis, in quibus cultro limites pofui naturæ, corruptio gradum figebat. — Has itaque tortuofas incifiones eam ob caufam perquam utiles effe cenfeo, quod ftimulus inæquali tenfione nervorum cutaneorum inter internam & externam fafciæ femoris laminam proficifcentium juxta ipfam fafciam propagatus, facta folutione continuitatis fafciæ latæ, & nervis difciffis, uno quafi momento auferatur.

EXPLI-

EXPLICATIO
TABULÆ PRIMÆ.

Fig. I.

A. A. A. A. A. Ganglia omnium quinque parium nervorum lumbalium, quorum quatuor inferiora inversa sunt, ut â facie postica exhibeantur.

B. B. B. B. B. Fasciculi nervei infra ganglia in ansas communicationum transeuntes.

a. a. a. a. a. Filamenta, quibus posteriores & anteriores radices nectuntur, & consociantur.

C. C. C. C. C. Trunci lumbales posteriores.

b. b. b. b. b. Nervi ad nerv. sympathicum magnum accessorii, discissi.

D. D. D. D. D. Quatuor superiores ansæ communicationis nerveæ, seu trunci lumbales anteriores.

E. Concursus ansæ communicationis primi paris cum ansa secundi paris.

F. Concursus ansæ communicationis secundi paris cum ansa tertii paris, & angulus inde formatus.

Nro. 1. Primum par nervorum lumbalium.

c. Nervus spermaticus externus.

d. Secunda radix secundi paris ad formationem N. spermat. externi.

Nro. 2. Secundum par nervorum lumbalium.

G. G. Ansa tertii paris ad plexum lumbalem.

Nro. 3.

Nro. 3. Tertium par nervorum lumbalium.
H. Angulus, unde *plexus lumbalis* oritur.
Nro. 4. Quartum par nervorum lumbalium.
Nro. 5. Quintum par nervorum lumbalium.
I. Ansa communicationis inferior quarti paris, qua par quartum & quintum conjunguntur.
e. Nervus ilio-hypogastricus.
ff. Duo illius filamenta.
g. Nervus ilio-inguinalis.
h. Prima radix primi paris ad formationem nervi spermatici externi.
i. i. Nervus lumbo-inguinalis.
k. Nervus cutaneus externus.
l. l. Duo primordia nervi cutanei externi.
K. K. *Plexus lumbalis* superficialiter explicatus.
L. L. Truncus nervi cruralis anterioris, recissus.
a. a. a. Truncus, tanquam ansa peculiaris â prioribus tribus ansis communicantibus proveniens, cum plexu lumbali insulam formans, & *ab aliis pro plexu ipso habita.* (Vide §. XXXVII.)
β. β. Concatenatio filamentorum infra plexum.
M. Truncus nervi cruralis interioris, seu obturatorii, abscissus.
γ. Radix solitaria, quæ superius â secunda ansa communicationis pro N. crurali interiori abit.
δ. δ. δ. Tres radices robustiores, qui ex tertia ansa communicationis pro Nerv. crurali interiori abeunt.
ε. Surculus ê radicibus N. cruralis interioris in plexum lumbalem migrans.
ζ. Radix fortior â quarto pari ad latus quartæ ansæ communicationis pro N. crurali interiori enata.
m. m. m. Surculi ad musculum Psoam magnum.
n. n. Surculi ad musculum iliacum internum inter se anastomizantes.

Fig. II.

Fig. II.

A. A. A. A. A. Ganglia nervorum lumbalium â latere finiftro.
B. B. Fafciculi nervei infra ganglia.
a. a. a. a. Radices anteriores & pofteriores tela cellulofa in fafciculos collectæ.
C. C. C. C. G. Trunci lumbales pofteriores.
b. b. b. b. b. Nervi ad nervum fympathicum magnum acceſſorii.
D. D. D. D. Quatuor fuperiores anfæ communicationis nerveæ, aut trunci lumbales anteriores.
E. Concurfus anfæ communicationis primi paris cum anfa fecundi paris.
F. Concurfus anfæ communicationis fecundi paris cum anfa tertii paris.
Nro. 1. Primum par nervorum lumbalium.
c. Nervus fpermaticus externus.
d. Radix fecunda fecundi paris ad formationem N. fpermat. externi.
Nro. 2. Secundum par nervorum lumbalium.
G. Angulus acutus concurfu truncorum lumbalium anteriorum fecundi & tertii paris ortus.
α. α. Concatenatio filamentorum fecundæ & tertiæ anfæ communicationis ope tenerrimæ telæ cellulofæ.
Nro. 3. Tertium par nervorum lumbalium.
H. Angulus, unde *plexus lumbalis* orditur.
Nro. 4. Quartum par nervorum lumbalium.
Nro. 5. Quintum par nervorum lumbalium.
I. Inferior anfa communicationis quarti paris ad conjunctionem paris quarti & quinti.
e. Nervus ilio-hypogaftricus.
f. f. f. Tria illius filamenta.
g. Nervus ilio-inguinalis.
h. Radix prima primi paris ad formationem nervi fpermatici externi.
i. Nervus lumbo-inguinalis.
k. Nervus cutaneus externus.
l. l. Duo illius primordia.

K. K.

K. K. *Plexus lumbalis*, qui nondum explicatus truncum mentitur.

L. L. Truncus nervi cruralis anterioris, abſciſſus.

m. Nervus arteriæ cruralis, â *Winslovio* pro nervo acceſſorio N. cruralis habitus.

M. Truncus nervi cruralis interni, ſeu obturatorii, abſciſſus.

β. Radix ſolitaria, quæ ſuperius â ſecunda anſa communicationis ad N. cruralem interiorem abit.

γ. γ. γ. Tres radices robuſtiores â tertia anſa communicationis ad N. cruralem interiorem abeuntes.

δ. δ. Duæ radices â quarto pari ad nervum cruralem internum, quarum prima juxta quartam anſam communicationis, altera vero duplici origine in vicinia plexus lumbalis oritur.

n. n. Surculi ad muſculos.

Fig. III.

A. A. A. A. A. Ganglia nervorum lumbalium â dextro latere.

B. B. Faſciculi nervei infra ganglia.

a. a. a. a. Radices anteriores & poſteriores tela celluloſa in faſciculos collectæ.

C. C. C. C. C. Trunci lumbales poſteriores.

b. b. b. b. b. Nervi ad nervum ſympathicum magnum acceſſorii.

D. D. D. D. Superiores quatuor anſæ communicationis nerveæ, ſeu trunci lumbales anteriores.

E. Concurſus anſæ communicationis primi paris cum anſa ſecundi paris.

F. Concurſus anſæ communicationis ſecundi paris cum anſa tertii paris.

Nro. 1. Primum par nervorum lumbalium.

c. Nervus ſpermaticus externus.

d. Radix ſecunda ſecundi paris ad formationem nervi ſpermatici externi.

Nro. 2. Secundum par nervorum lumbalium.

G. Angulus acutus concurſu truncorum lumbalium anteriorum ſecundi tertiique paris formatus.

α. α. Concatenatio filamentorum ſecundæ & tertiæ anſæ communicationis ope tenerrimæ telæ celluloſæ.

Nro. 3. Tertium par nervorum lumbalium.

H. Angulus, unde *plexus lumbalis* orditur.

Nro. 4. Quartum par nervorum lumbalium.

Nro. 5. Quintum par nervorum lumbalium.

I. Anſa communicationis inferior quarti paris ad conjunctionem paris quarti & quinti.

e. Nervus ilio-hypogaſtricus.

f. f. f. Tria illius filamenta.

g. Nervus ilio-inguinalis.

h. Prima radix primi paris ad formationem nervi ſpermatici externi. (c.)

i. i. Nervus lumbo-inguinalis.

k. Nervus cutaneus externus.

l. l. Duæ illius radices.

K. K. *Plexus lumbalis* aciculis diſtractus.

L. L. Truncus nervi cruralis anterioris, abſciſſus.

m. Nervus arteriæ cruralis â *Winslovio* tanquam nervus acceſſorius nervi cruralis deſcriptus.

M. Truncus nervi cruralis interni, ſeu obturatoris, abſciſſus.

γ. Radix unica ê medio ſecundæ anſæ communicationis ad nervum obturatorem migrans.

δ. δ. Duæ radices ê tertia anſa communicationis ad nervum obturatorem abeuntes.

ε. ε. Duæ radices quarti paris ad nervum obturatorem, quarum altera juxta ſecundam anſam communicationis, altera duplici origine in vicinia *plexus lumbalis* oritur.

n. n. Surculi ad muſculos.

Fig. IV.

A. A. A. A. A. Ganglia nervorum lumbálium â latere ſiniſtro.

B. B. B. B. B. Faſciculi nervei infra ganglia.

C. C. C. C. C. Trunci lumbales posteriores.
a. a. a. a. a. Nervi ad nervum sympathicum magnum accessorii.
D. D. D. D. Quatuor superiores ansæ communicationis nerveæ, seu trunci lumbales anteriores.
E. Concursus ansæ communicationis primi paris cum ansa secundi paris.
F. Concursus ansæ communicationis secundi cum ansa tertii paris.
Nro. 1. Primum par nervorum lumbalium.
c. Nervus spermaticus externus.
d. Radix secunda secundi paris ad formationem nervi spermatici externi.
b. Alternatio filamentorum inter spermaticum externum & lumbo-inguinalem.
Nro. 2. Secundum par nervorum lumbalium.
G. Angulus acutus concursu truncorum anteriorum lumbalium secundi & tertii paris ortus.
α. α. α. Concatenatio filamentorum in ansa communicationis secundi paris, exsecta tela cellulosa conspicua.
Nro. 3. Tertium par nervorum lumbalium.
β. Permixtio filamentorum secundæ & tertiæ ansæ communicationis.
H. Angulus, unde *plexus lumbalis* orditur.
Nro. 4. Quartum par nervorum lumbalium.
Nro. 5. Quartum par nervorum lumbalium.
I. Ansa communicationis inferior quarti paris, ad conjunctionem quarti & quinti paris.
e. Nervus ilio-hypogastricus.
ff. Duo illius filamenta.
g. Nervus ilio-inguinalis.
h. Prima radix primi paris ad formationem N. spermat. externi.
i. Nervus lumbo-inguinalis.
k. k. k. Nervus cutaneus externus.
l. l. Duplex illius origo.
K. K. *Plexus lumbalis intra spatium duarum linearum transversarum explicatus.*
L. L. Truncus nervi cruralis anterioris abscissus.

ε. ε. ε. Concatenatio infra plexum in trunco nervi cruralis anterioris.

m. Nervus arteriæ cruralis â *Winslovio* pro nervi cruralis ſocio habitus.

M. Truncus nervi cruralis interni, ſeu obturatoris abſciſſus.

ζ. Radix ſolitaria, ſuperius ex ſecunda anſa communicationis ad N. obturatorium abiens.

η. η. η. Tres radices, â tertia anſa communicationis ad N. obturatorium abeuntes.

ϑ. Radix ex quarto pari ad latus quartæ anſæ communicationis ad N. obturatorem abiens.

N. Nervus ad nervum cruralem internum ſ. obturatorem acceſſorius abſciſſus.

ι. Mutua filamentorum nervi acceſſorii concatenatio.

κ. Filamentorum ipſius concatenatio cum principiis nervi cruralis interni.

Fig. V.

A. A. A. A. A. Ganglia omnium quinque parium nervorum lumbalium dextri lateris.

B. B. B. B. B. Faſciculi nervei infra ganglia.

a. a. a. a. Filamenta, quibus anteriores & poſteriores conjunguntur.

C. C. C. C. C. Trunci lumbales poſteriores.

b. b. b. b. b. Nervi ad nervum ſympathicum magnum acceſſorii.

D. D. D. D. Quatuor ſuperiores anſæ communicationis nerveæ, ſeu trunci lumbales anteriores.

E. Concurſus anſæ communicationis nerveæ primi cum anſa ſecundi paris.

F. Concurſus anſæ communicationis nerveæ ſecundi cum anſa tertii paris una cum angulo inde nato.

Nro. 1. Primum par nervorum lumbalium.

c. Nervus ſpermaticus externus.

d. Radix ſecunda paris ſecundi ad formationem nervi ſpermatici externi.

Nro. 2. Secundum par nervorum lumbalium.

G. Angulus acutus ex concurſu trunci lumbalis anterioris ſecundi & tertii

paris (Truncus lumbalis anterior in situ paulo erectiori exhibetur, ut filamentorum concatenatio clarius perspiciatur).

α. α. Concatenatio ansæ communicationis secundi paris, tela nempe cellulosa soluta.

Nro. 3. Tertium par nervorum lumbalium.

β. Permixtio filamentorum ansarum communicationis secundi & tertii paris.

H. Angulus, unde *plexus lumbalis* orditur.

Nro. 4. Quartum par nervorum lumbalium.

Nro. 5. Quintum par nervorum lumbalium.

I. I. Inferior ansa communicationis quarti paris ad utriusque quarti quintique paris conjunctionem.

e. e. Nervus ilio - inguinalis.

h. Prima radix primi paris ad formationem nervi spermatici externi.

i. Nervus lumbo - inguinalis.

k. Nervus cutaneus externus.

l. Solitaria illius radix.

δ. δ. Bini illius in musculo Psoa dehiscentes rami.

K. K. *Plexus lumbalis inter duas lineas transversas nitide explicatus.*

L. L. L. Truncus nervi cruralis anterioris abscissus.

ε. ε. ε. ε. Concatenationes infra plexum in trunco nervi cruralis anterioris.

m. Nervus arteriæ cruralis â *Winslovio* tanquam socius nervi cruralis descriptus.

M. M. M. Truncus nervi cruralis interni, seu obturatoris abscissus.

ζ. ζ. Duæ radices superius â secunda ansa communicationis ad nervum obturatorem abeuntes.

η. η. η. Tres radices crassiores â tertia ansa communicationis ad eundem nervum migrantes.

δ. δ. δ. Tria filamenta â quarto pari ad nervum obturatorem in vicinia plexus lumbalis.

N. Nervus ad nervum cruralem internum accessorius abscissus.

k. Concatenationes ipsius filamentorum cum primordiis nervi principis.

Fig. VI.

Fig. VI.

I. Quintum par nervorum cervicalium.
II. Sextum par — —
III. Septimum par — —
IV. Octavum par — —
V. Primum par nervorum dorſalium.
A. A. A. Superior, ſimplex, & minor plexus.
B. B. B. Medius, minor plexus.
C. C. C. Inferior, minor plexus *Scarpæ.*
a. Nervus ſupraſcapularis.
b. Nervus muſculo-cutaneus.
c. Nervus medianus.
d. Nervus cubitalis.
e. Nervus axillaris.
f. Nervus radialis.
g. Nervus cutaneus internus.
h. h. h. h. h. h. Surculi nervei ad vicinos muſculos abeuntes.

EXPLICATIO
TABULÆ SECUNDÆ.

XII. Duodecima vertebra dorſi.
I. Prima vertebra lumborum
II. Secunda — —
III. Tertia — —
IV. Quarta — —
V. Quinta — —

Omnia corpora vertebrarum in medio diſſecta, ut dextra pars dimidia oculis ſubjiciatur.

α. α. α. α. α. α. Cartilagines intermediæ.
A. A. Os ſacrum.
B. B. Ultima coſta ſpuria.
C. C. Muſculus quadratus lumborum.
D. Membrana inter ligamentum pelvis antico-ſuperius & inferius, quod tendinem muſculi quadrati lumborum, quoad partem, tegit.
E. E. Pars muſculi obliqui majoris abdominis.
F. Pars muſculi obliqui minoris abdominis.
G. Pars muſculi transverſi abdominis.
H. H. H. Muſculus iliacus internus.
I. I. Pars abſciſſi muſculi magni Pſoæ.
K. Arteria cruralis paulo introrſum deducta.
L. Arteria epigaſtrica inferior.
M. Arteria abdominalis *Halleri*.
N. Arteria circumflexa ilium.
O. Muſculus glutæus maximus.
P. P. Muſculus glutæus medius.
Q. Q. Muſculus tenſor faſciæ latæ.
R. Muſculus ſartorius.
S. Exigua portio muſculi vaſti interni.
T. T. Muſculus rectus cruris.
U. Exigua portio muſculi vaſti externi.
W. W. Muſculus abductor longus abſciſſus, & interna ſuperficies antrorſum, externa retrorſum verſa.
W. Pars reſidua muſculi adductoris longi.
X. X. Muſculus gracilis internus.
Y. Y. Y. Adductor brevis.
Z. Z. Pars exigua marginis ſuperioris adductoris magni.
A. a. A. a. Muſculus obturatorius externus.
Δ. Δ. Muſculus pectineus ſolutus & reclinatus.
1β. 1β. 1β. 1β. 1β. 1β. Decurſus nervi ſympathici magni dextri lateris ſupra ultimam vertebram dorſi, & ſuper quinque vertebras lumborum, usque ad os ſacrum.

1. Pri-

1. Primum ganglion lumbo - intercoſtale.
2. Secundum ganglion — —
3. Tertium ganglion — —
4. 4. Quartum ganglion — —
5. Quintum ganglion — —
6. Nervus ad ſympathicum magnum ab ultimo dorſalium acceſſorius.
7. 8. Nervi ad ſympathicum magnum acceſſorii, â primo pari nervorum lumbalium.
9. 10. 11. 12. Nervi ad ſympathicum magnum acceſſorii â ſecundo pari nervorum lumbalium.
13. Nervus ad ſympathicum magnum acceſſorius, â tertio pari nervorum lumbalium.
14. 15. Nervi ad ſympathicum magnum acceſſorii â quarto pari.
16. 17. 18. Nervi ad ſympathicum magnum acceſſorii â quinto pari.
19. Ultimum ſeu duodecimum par nervorum dorſalium.
20. Nervus acceſſorius ab hoc pari ad nervum ſympathicum magnum.
21. Anſa, quæ ultimum par nervorum dorſalium cum primo pari nervorum lumbalium conjungit.
22. Ex anteriori & poſteriori radice compoſitus faſciculus infra ganglion lumbale.
23. 23. Nervus ilio - hypogaſtricus.
24. 24. Illius ramus exterior.
25. Illius ramus interior.
26. 26. Nervus ilio - inguinalis.
27. Ramus interior N. ilio - inguinalis.
29. 29. 29. Surculus interior hujus rami.
30. 30. 30. Surculus exterior hujus rami.
28. 28. 28. Ramus interior N. ilio - inguinalis.
31. 31. 31. Prima anſa communicationis nervea, ſeu truncus lumbalis anterior primi paris.
32. Ex poſterioribus & anterioribus radicibus compoſitus faſciculus ſecundi paris infra ganglion lumbale.

33. 33.

33. 33. Secunda anſa communicationis nervea, ſeu truncus lumbalis anterior ſecundi paris.

34. Prima radix nervi ſpermatici externi.

35. Secunda cum nervo lumbali-inguinali conjuncta radix nervi ſpermatici externi.

36. 36. 36. Nervus ſpermaticus externus.

37. 37. 37. Ramus interior ad tunicam vaginalem teſtium, & muſculum cremaſterem migrans.

38. Ramus exterior, qui partitur,

39. 40. In duos ſurculos.

41. 41. 41. Nervus lumbo-inguinalis.

42. 42. Illius ramus interior.

43. Illius ramus exterior.

44. 44. 44. 44. Surculi interiores rami interioris, in arteriam cruralem ſeſe diſtribuentes.

45. Surculus exterior rami interioris, pluribus ſurculis in ſuperiori & anteriori latere femoris evaneſcentis.

46. Nervus cutaneus externus.

47. Illius ramus exterior.

48. Illius ramus interior, qui in ε. cum nervo cutaneo medio ſe conjungit.

49. Radix, ſuperior tenuior nervi cutanei externi.

50. Radix inferior craſſior N. cutanei externi, ex qua

δ. Surculus in ſubſtantiam muſculi magni Pſoæ egreditur.

51. 51. Nervus cutaneus anterior.

52. Illius ſurculus interior in arteria crurali cum ſurculo 44. ſe inſerit.

53. Continuatus nervus cutaneus anterior, qui deinde dividitur in.

54. 54. Duos ſurculos.

55. 55. 55. Nervus cutaneus medius, ex quo oritur.

56. Nervus cutaneus internus, ſeu ſuperior.

57. Continuatus, & cum ſurculo interiori 48. nervi cutanei externi conjunctus nervus cutaneus medius.

58. Surculus interior cum nervo cutaneo anteriori (54. 54.) conjunctus.

59. Sur-

59. Surculus exterior.
60. 60. Tertia anſa communicationis nervea, ſeu truncus lumbalis anterior tertii paris.
61. Superior brevis quarta anſa communicationis nervea, ſeu truncus lumbalis anterior quarti paris.
62. ζ. 62. ζ. Plexus lumbalis non præparatus infra illum.
62. 62. Truncus nervi cruralis anterioris.
63. Angulus, ex quo deorſum plexus lumbalis oritur.
64. 65. 66. 67. Surculi ex nervo crurali anteriori in muſculum iliacum internum H. H. penetrantes, & quandoque anaſtomizantes.
68. 68. 68. Radices ex ſecunda, tertia, & quarta eaque ſuperiori anſa communicationis ad nervum cruralem interiorem, ſeu obturatorem.
69. 69. 69. 69. Decurſus nervi cruralis interni intra pelvim.
70. 70. Duo ſurculi pro muſculo obturatore A. a.
71. Ramus interior nervi cruralis interioris.
72. Ramus illius medius.
73. Ramus illius exterior.
74. Surculus ſuperior rami interioris pro adductore longo.
75. Surculus inferior rami interioris pro gracili interno.
76. 76. 76. *Nervus acceſſorius nervi cruralis interioris.*
77. Surculus acceſſorii nervi cum trunco nervi cruralis interioris ſe conjungens.
78. Surculus verſus articulationem migrans.
79. Surculus pro pectineo.
80. Anſa communicationis nervea inferior quarti paris.
81. Quintum par nervorum lumbalium.
82. 82. Anſa transverſa inter quartam anſam communicationis, & plexum lumbalem.

EXPLICATIO
TABULÆ TERTIÆ.

XII. Duodecima vertebra dorſi
I. Prima vertebra lumborum
II. Secunda vertebra lumborum
III. Tertia vertebra lumborum
IV. Quarta vertebra lumborum
V. Quinta vertebra lumborum.

Omnia corpora vertebrarum in medio diſſecta, ut dextra pars dimidia oculis ſubjiciatur.

a. a. a. a. a. a. Cartilagines intermediæ.
A. A. Os ſacrum.
B. B. Ultima coſta ſpuria.
C. C. Muſculus quadratus lumborum.
D. Pars ligamenti pelvis antici ſuperioris cum tendine muſculi quadrati lumborum.
E. Pars muſculi obliqui majoris abdominis.
F. F. Pars muſculi obliqui minoris abdominis.
G. G. G. Muſculus iliacus internus.
H. H. H. Muſculus Pſoas magnus.
I. Funiculus ſpermaticus abſciſſus.
K. Arteria iliaca externa paululum ad latus inclinata.
L. L. Fiſſura tendinea muſculi obliqui majoris abdominis.
M. Membrum virile absque integumentis communibus.
N. Scrotum dextri lateris fibris muſcularibus muſculi cremaſteris obtectum.
O. O. O. O. Glandulæ inguinales.
P. P. P. P. Tela adipoſa in regione inguinali, pubis, & latere interno femoris, glandulas cingens.
Q. Glandula femoralis interna magna.

R. R. R. R. Interna lamina fasciæ latæ.
S. S. S. Fragmentum laminæ externæ fasciæ latæ.
T. Ramus horizontalis ossis pubis.
U. U. Pars aponeuroseos musculi obliqui majoris abdominis, ad formationem ligamenti Poupartii concurrens.
1β. 1β. 1β. 1β. 1β. 1β. Decursus nervi sympathici magni dextri lateris super ultimam vertebram dorsi, & omnes quinque vertebras lumborum usque ad os sacrum.
1. Primum ganglion lumbo-intercostale.
2. Secundum — — — —
3. Tertium — — — —
4. Quartum — — — —
5. Quintum — — — —
6. Nervus ad sympathicum magnum accessorius ab ultimo pari nervorum dorsalium.
7. 8. Nervi ad sympathicum magnum accessorii â primo pari nervorum lumbalium.
9. 10. 11. Nervi ad sympathicum magnum accessorii â secundo pari nervorum lumbalium.
12. Nervus ad sympathicum magnum accessorius â tertio pari nervorum lumbalium.
13. 14. Nervi ad sympathicum magnum accessorii â quarto pari nervorum lumbalium.
15. 16. Nervi ad sympathicum magnum accessorii â quinto pari nervorum lumbalium.
17. 18. 19. Surculi continuati ex ultimo ganglio lumbo-intercostali pro nervo sympathico magno in decursu suo ad os sacrum.
20. 20. Nervus ilio-hypogastricus.
22. 22. Illius ramus exterior.
23. Illius ramus interior.
24. Nervus ilio-inguinalis.
25. Illius ramus interior.
26. 26. 26. Illius ramus exterior juxta totum suum decursum.

27. 27. Duo filamenta pro mufculis abdominis.

28. 28. 28. Surculus interior rami interni nervi ilio - inguinalis juxta totum fuum decurfum.

29. Surculus exterior rami interni, qui cum ramo externo 26. in 27. fe conjungit.

30. 31. 32. Tria filamenta rami externi, qui partim in linea alba, partim fupra mufculum obliquum minorem abdominis evanefcunt.

33. Surculus rami interni ad telam adipofam regionis pubis tendens.

34. Surculus rami interni ad telam cellulofam glandulas inguinales cingentem migrans.

35. Finis rami interni nervi ilio - inguinalis, qui cum nervo lumbo - inguinali 47. fe conjungit, &

b. b. Infulam format.

36. 36. 36. Decurfus nervi fpermatici externi fuper mufculum magnum Pfoam.

a. Filamentum illius abfcedens, & iterum accedens.

37. 37. 37. 37. 37. Surculus interior nervi fpermatici externi, qui cum funiculo fpermatico per annulum abdominalem tranfit & in fcroto in d. d. fuper cremafterem egreditur.

38. Filamentum illius anterius.

39. Filamentum illius pofterius.

40. Surculus exterior nervi fpermatici externi.

41. 41. Surculus interior hujus furculi, fupra mufculum obliquum minorem egrediens (in e.), cum ramo externo nervi lumbo - inguinalis (45) fe conjungit.

42. 42. Surculus exterior, eodem modo anaftomofin efficiens.

e. e. e. Infula ex anaftomofi horum furculorum cum ramo externo nervi lumbo - inguinalis formata.

43. 43. 43. Nervus lumbo - inguinalis fuper mufculum Pfoam cum nervo fpermatico externo conjunctus decurrens.

44. Illius ramus interior.

45. 45. 45. Ramus illius exterior furculo interno (41) & externo (42) rami exterioris nervi fpermatici externi adauctus, unde infula (e. e.) formatur.

46. Sur-

46. Surculus hujus rami ad telam adipofam glandularum inguinalium migrans (o).

47. 47. 47. Surculus in (35) cum extremitate rami interioris nervi ilio-inguinalis fe conjungens, unde dein formata infula (b. b.).

49. 49. Ex utroque nervo verfus interiorem femoris partem continuatus nervus oritur.

48. Surculus rami exterioris nervi lumbo-inguinalis pro tela adipofa regionis pubis.

50. 50. Duo filamenta rami interioris (44) N. lumbo-inguinalis ad arteriam cruralem migrans.

51. 51. 51. Alius furculus rami interioris hujus nervi inter laminas fafciæ latæ extra ligamentum Poupartii (U) egrediens extrorfum in

52. 52. 52. 52. Quatuor furculos divifus nervum cutaneum externum fuperfilit.

53. Nervus cutaneus externus.

54. Ramus interior nervi cutanei externi (ε) cum nervo cutaneo medio (63) fub angulo acuto fe conjungens.

55. Ramus exterior craffior nervi cutanei externi extra ligamentum Poupartii, qui

56. Surculum breviorem verfus fuperiorem & pofteriorem, —

57. Surculum longiorem & craffiorem verfus exteriorem & pofteriorem — &

58. Surculum longiorem & tenuiorem verfus interiorem partem femoris ablegat.

59. 60. Duæ extremitates furculi brevioris 56, verfus pofteriorem partem femoris migrantes.

61. Radix fuperior tenuior nervi cutanei externi ex fecunda anfa communicationis (Tab. II.) fuper mufculum Pfoam egrediens.

62. Radix inferior craffior nervi cutanei externi ex eadem anfa communicationis infra mufculum Pfoam egrediens.

63. 63. 63. Nervus cutaneus medius juxta totum fuum decurfum fuper mufculum iliacum internum ad latus mufculi Pfoæ, & anaftomofis illius (ε) cum ramo interiori nervi cutanei externi.

64. Sur-

64. Surculus nervi cutanei medii anaſtomoſin cum nervo cutaneo anteriori conſtituens.

65. 65. 65. 65. Decurſus nervi cutanei anterioris (in f.) ſupra laminam interiorem faſciæ latæ egredientis & (in g.) cum ſurculo 64. nervi cutanei medii 63. ſe conjungens.

66. 67. 68. 69. Quatuor ſurculi ê trunco nervi cruralis anterioris, in muſculum iliacum internum penetrantes, & anaſtomizantes.

c. c. c. Truncus nervi cruralis anterioris ad latus muſculi Pſoæ.



70. 70. 70. Truncus nervi cruralis interioris juxta ſuum decurſum per pelvim.




71. 71. Nervus cutaneus, internus vulgo, ſeu ſuperior, ê nervo cutaneo medio hîc egrediens (Vide Tab. II. 56.).


72. 73. 74. 75. Varii ſurculi hujus nervi ſecundum varias directiones in latere interiori femoris.


Corrigenda.


Pagina	1	Linea	4	repetito	Lege	repetita
—	2	—	2	Williſi	—	Williſii
—	11	—	7	et tertium	—	vel tertium
—	16	—	10	delincationem	—	delineationem
—	24	—	5	dirimato	—	diremto
—	30	—	2	ervaturus	—	ſervaturus
—	31	—	10	haut	—	haud
—	33	—	11	aponeuratica	—	aponeurotica
—	35	—	15	externus	—	internus
—	33	—	16	extorſum	—	extrorſum
—	33	—	17	iliaco	—	iliaca
—	37	—	23	conta	—	contra
—	40	—	25	Tab. V,	—	Tab. I
—	57	—	16	æconomiæ	—	œconomiæ
—	68	—	19	fuerit	—	fuit
—	72	—	9	recurentis	—	recurrentis
—	72	—	26	decuſationem	—	decuſſationem
—	81	—	9	Iongum	—	longum
—	82	—	11	ecceſſorius	—	acceſſorius
—	85	—	12	unicam	—	unciam













Fig. I
N. 1.
N. 2.
N. 3.
N. 4.
N. 5.


Fig. II
N. 1.
N. 2.
N. 3.
N. 4.
N. 5.


Fig. III
N. 1.
N. 2.
N. 3.
N. 4.
N. 5.


Fig. IV
N.1
N.2
N.3
N.4
N.5


Fig. V.
N.1.
N.2.
N.3.
N.4.
N.5.


Fig. VI
I
II
III
IV
V

Tab. II.

Carol. Pfeffer ad natur. pinx.

Joh. N. Mansfeld Sculps.

Tab. III.